Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/destatureligioso0000aloi

DE STATU RELIGIÓSO

COMMENTARIUM

DE STATU RELIGIOSO

COMMENTARIUM

AD USUM PRAESERTIM

CLERICORUM REGULARIUM S. PAULI

AUCTORE

ALOISIO M. FERRARI

EIUSDEM CONGREGATIONIS PRAEPOSITO GENERALI

EDITIO ALTERA AB A. REVISA ET AUCTA

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

1899

3881
2882

De statu Religioso Commentarium etc.

			Errata	Corrige
Pag.	12	lin. 20		
»	164	» 8		
»	180	» in fine	adeoque	ideoque
»	271	» 23		
»	279	» 26		
»	319	» 9		
»	21	» 13	solum	solus
»	61	» 21	Religionis profitendi	Religionis profitendae vel Religionem profitendi
»	83	» 24	1824	1624
»	152	» 29	exigatur	exigitur
»	185	» 17	ad	ab
»	206	» 24	89	80
»	226	» 15	dumtaxast	dumtaxat
»	245	» 22	disdensare	dispensare
»	261	» 18	Generales	Synodales
»	303	» 23	Quo casu Praepositus	Quo casu, Praepositus

N. B. Pag. 89 deleatur nota ad calcem apposita.

Pag. 122, lin. 19 deleantur verba: *per annum saltem.*

PRAECIPUARUM ABBREVIATIONUM EXPLICATIO

I. **S. C. EE. et RR.** (vel, *antonomastice:* **S. C.**) - Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, seu S. C. negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, cui adnectitur, sub eodem Eminentissimo Praefecto, S. Congregatio super Disciplina Regulari.

II. **S. C. C.** - Sacra Congregatio Concilii.

III. **S. R. C.** - Sacra Rituum Congregatio.

IV. **Collectan.** - Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Episcop. et Regular. a cl. Bizzarri edita. Citamus simul paginas primae editionis, scilicet anni 1863, et secundae, nempe anni 1885.

V. **Acta S. S.** - Acta Sanctae Sedis, seu ephemerides romanae quae sub hoc titulo singulis mensibus eduntur. Numero romano indicamus volumen, arabico folium.

VI. **Compend.** - Compendium Apostolicarum Constitutionum et Decretorum etc. cum Appendice, Romae edit. an. 1874.

VII. **Bullar. n.** - Bullarium nostrum Romae ed. an. 1853.

VIII. **Formul.** - Formularium nostrum an. 1893 editum.

LECTORI MONITUM

Id nobis in hoc opusculo proponimus, ut facili planoque stylo eas moralis theologiae iurisque tum canonici tum nostri notiones exponamus, quae ad probe agnoscendum statum perfectionis a nobis susceptum aut necessariae sunt aut perutiles. Experientia enim compertum est quam facile et quam frequens sit circa regularem disciplinam errare ob ignorata iura officiaque nostra, et quam incommodum evadat ea inquirere partim in theologorum et canonistarum tractatibus, partim in tot collectaneis legum, decretorum et declarationum quibus constat ius sive nostrum sive omnibus Regularibus commune. Quod igitur aggredimur opus, utcumque imperfectum, non parum conferre poterit ad regularem disciplinam inter nos promovendam, si Clerici nostri illud frequenter prae manibus habeant, aut communiter perlegant.

Haec autem erit rerum tractandarum distributio: distinctis nempe capitibus disseremus de status religiosi natura, origine ac multiplici forma; de novis Sodalitiis novisque Collegiis fundandis; de Alumnorum receptione, tirocinio et professione; de religiosa perfectione, adeoque de paupertate, castitate, clausura, obedientia, regularum observantia aliisque obligationibus cum positivis tum negativis; de Regularium privilegiis, regimine et bonorum temporalium administratione; de Regularibus denique ad ecclesiasticas dignitates evectis, vel ad aliam religionem migrantibus, vel extra claustra quomodocumque degentibus.

CAPUT I

DE STATUS RELIGIOSI NATURA

SUMMARIUM. — 1. Quid sit status religiosus. — 2. An haeretici, schismatici ac simplices laici possint esse veri Religiosi. — 3. Conditio vitae communis sub communi regula. - Distinctio Regulas inter et Constitutiones. - An et quomodo Constitutiones nostrae mutari, abrogari aut declarari possint. — 4. In quonam consistat religiosa perfectio. - An peccatum Religiosi sit gravius vel levius peccato saecularis. - Perfectio status religiosi cum perfectione status episcopalis vel simpliciter sacerdotalis comparatur. — 5. Necessitas approbationis Ecclesiae. — 6. Necessitas votorum perpetuorum. - Distinctio inter vota solemnia, et simplicia. - An solemnitas votorum sit de essentia status religiosi. — 7. Traditio sui, eiusque acceptatio.

1. Quid sit status religiosus.

Religiones et *Religiosi* a virtute religionis dicuntur, cuius est debitum Deo cultum praestare; hinc, *iuxta etymon,* status religiosus illud indicat vitae genus, in quo, per suimet ipsius ad Dei cultum consecrationem, virtutem illam excellentiori modo quis exercet. Ad rem S. Thomas: « Id quod communiter multis convenit, antonomastice tribuitur ei, cui per excellentiam convenit. Religio autem.... est quaedam virtus per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet, et ideo antonomastice *religiosi* dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes... In hoc autem perfectio hominis consistit, quod totaliter Deo inhaereat.... et secundum hoc *religio* perfectionis statum nominat » [1]. Hinc « quamvis religiosi dici pos-

[1] 2. 2. q. 186, art. 1

sint communiter omnes qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur qui totam vitam suam divino cultui dedicant; sicut etiam contemplativi dicuntur, non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant » [1].

Quoad vero rei essentiam, status religiosus tripliciter accipi solet: 1° scilicet *in sensu latissimo et omnino improprio,* quatenus includit quaedam, sed non omnia, essentialia religionis mox explicanda; 2° *in sensu lato et minus proprio,* quatenus comprehendit omnia essentialia religionis, cum votis tamen simplicibus; 3° *in sensu proprio et stricto,* quatenus, praeter essentialia religionis, comprehendit vota solemnia.

In 1° sensu, tamquam religiosae familiae a vulgo quandoque habentur illae *Congregationes saeculares* Presbyterorum vel Missionariorum, nec non illa *Pia Instituta*, quae aliquid commune habent cum religiosis familiis; sed aut carent approbatione S. Sedis, aut non approbantur tamquam sodalitates religiosae; adeoque vel vota, saltem omnia, religiosorum propria non habent, vel, si habeant, haec sunt plerumque temporaria, semper autem *privata,* scilicet neque ab Ecclesia neque a Congregatione ipsa ex Ecclesiae delegatione acceptata; unde societates istae *improprie religiosae* non habent *essentiam* status religiosi, sed *formam* illius imitantur et aliquid ex ipso retinent [2].

[1] Ib. q. 81, art. 1, ad 1.

[2] Sic de recentibus mulierum Sodalitiis quae habitum religiosum non gestant S. C. EE. et RR. die 21 Iun. 1889, in decreto a Leone XIII die 11 Aug. eiusdem anni approbato, hanc edidit declarationem: « S. C. quando laudat vel approbat huismodi Instituta, etiam sub expresso *Congregationis* nomine, ea intendit laudare et approbare, non quidem ut *Religiones* formales votorum solemnium, neque etiam ut formales et veras *Congregationes*

In 2° sensu status religiosus definitur: Stabile vitae institutum, ab Ecclesia approbatum pro christifidelibus, qui, sub certa regula et communi vivendi modo, evangelicam perfectionem prosequuntur per vota perpetuae paupertatis, castitatis et obedientiae, cum traditione sui Deo facta et Dei nomine ab aliquo homine acceptata.

Sic omnes recentes *Congregationes ecclesiasticae* (velut quae S. Alphonsum M. de Ligorio et S. Paulum a Cruce auctores habent), omnia item moderna *Instituta religiosa* (ex. gr. Fratrum a scholis christianis etc.) in quibus non emittuntur nisi vota simplicia, licet perpetua, latiori ac minus proprio sensu inter religiosas familias recensentur. Vocari quidem solent et sunt *Congregationes religiosae*, sed nec vocantur nec sunt veri *Ordines* religiosi, seu *Religiones formales*.

In 3° sensu status religiosus eodem modo definitur addita votorum solemnitate, et comprehendit omnes antiquas Religiones usque ad Congregationem Clericorum Regularium a Scholis Piis inclusive, quae ideo in stylo romanae Curiae *Religiones formales* audiunt. De iis tantum sermo esse solet, quoties sacri canones et Doctores absolute et absque specificatione de *Religionibus* et *Religiosis* loquuntur [1].

votorum simplicium, sed tantum ut *pias Sodalitates,* in quibus, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec *religiosa professio proprie dicta* emittitur, sed vota, si quae fiant, *privata* censentur, non *publica* nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata (*Acta S. S.* XXIII, 635).

[1] Vota Sanctimonialium quae olim erant solemnia, nunc, attentis circumstantiis, habentur ut simplicia in Gallia (exceptis Monasteriis Sabaudiae erectis ante adnexionem), in Belgio et in Statibus-Unitis Americae Nordicae (exceptis, quoad Americam, Monasteriis Visitationis erectis ante diem 30 Sept. 1864). Imo in Gallia a votis illis, olim solemnibus nunc simplicibus (excepto voto castitatis perpetuae) dispensare possunt Episcopi. In Italia adhuc extant Moniales habentes vota solemnia et clausuram Pontificiam.

Igitur ad *essentiam* status religiosi sequentes conditiones requiruntur ac sufficiunt: 1° quod alumni sint catholici; 2° quod communiter sub eadem regula vivant; 3° quod evangelicam perfectionem prosequantur; 4° quod eorum Sodalitas sit approbata ab Ecclesia; 5° quod praefata vota, et quidem perpetua, emittant; 6° quod se ipsos Deo tradant, et hanc traditionem aliquis Dei nomine excipiat. Singula perpendamus.

2. - An haeretici, schismatici ac simplices laici possint esse veri Religiosi.

Quamquam ex acatholicis aliqui religiosam vitam plus minus imitentur, hi tamen ut veri Religiosi haberi nequeunt, cum, inter alia, ab Ecclesia quae sola sancta est sint separati, ac eius approbatione careant. Ideo non licet eorum quemquam in sodalem recipere, tametsi ad ciurandum schisma aut haeresim se paratum dicat; imo nobis interdicitur vel illos recipere qui iam schisma vel haeresim abiuraverint [1].

Attamen ut quis vere et proprie Religiosus censeatur, non requiritur ut sit clericus. Equidem Sodalitia Canonicorum et Clericorum Regularium ideo sunt instituta ut eorum alumni Clericorum ministeriis religiosam iungant perfectionem; at eorum nullus necessario ecclesiasticae hierarchiae fit particeps; itaque non modo futuri Clerici, sed et Fratres Conversi, statim post votorum professionem in Religione approbata, veri Religiosi efficiuntur.

[1] Constit. lib. I, c. 2.

3. - Conditio vitae communis sub communi regula. - Distinctio Regulas inter et Constitutiones. - An et quomodo Constitutiones nostrae mutari, abrogari aut declarari possint.

Vita communis, adeoque regularis (nulla enim societas sine dirigente auctoritate et sine certis legibus consistere potest) hodie omnino requiritur ad statum religiosum, quamvis latiori sensu acceptum, constituendum; non quod sit de essentia huius status per se considerati, siquidem primis Ecclesiae saeculis *eremitae* seu *solitarii* ut veri religiosi habebantur; sed quia hodierna Ecclesiae consuetudine non approbantur nisi Ordines *coenobitici,* illi nempe in quibus sodales communiter sub iisdem superioribus et sub eadem regula vivunt. Itaque solitarii, si qui sunt, votis paupertatis, castitatis et obedientiae erga proprium Confessarium adstricti, nonnisi in latissimo et improprio sensu, Religiosi dicendi sunt.

De regulae obligatione alibi (§ 72) sermo erit: heic tantum iuverit definire differentiam Regulam inter et Constitutiones. In iure *Regula* est lex fundamentalis ab antiquis religionum institutoribus tradita atque ab Ecclesia approbata; *Constitutiones* sunt praescriptiones primitivae *Regulae* superadditae. Sic variae eiusdem Ordinis Congregationes eamdem *Regulam,* sed diversas habent *Constitutiones*. Atqui apud nos huiusmodi vocum significatio immutata est; *Constitutiones* enim sunt pro nobis leges primariae ac fundamentales ab Apostolica Sede approbatae, *Regulae* vero sunt veluti particulares et minutiores normae pro novitiis primi et secundi novitiatus, pro Fratribus Conversis, pro Cle-

ricis Officialibus vel Praelatis, ad eorum directionem iuxta mentem *Constitutionum* a Capitulis Generalibus approbatae.

Iamvero Constitutiones nostrae possunt a Capitulo Generali non declarari modo, sed immutari vel abrogari, non tamen in essentialibus, nec in iis quae lege aliqua divina vel ecclesiastica firmantur. *Nova* tamen Constitutio a tribus Generalibus Capitulis diversis annis celebrandis approbari debet et quidem *tamquam Constitutio;* interim, ante tertiam approbationem, vigorem habebit simplicis *Decreti*. *Abrogatio* autem mutationi seu innovationi aequivalet; et ideo, si de Constitutione aliqua in totum aut ex parte *abroganda* agatur, id in ipsa abrogationis formula exprimendum erit, ne *abrogatio* cum simplici temporaria *dispensatione* confundatur; et tamen, antequam tertio confirmetur, vim habebit simplicis *dispensationis* per decretum concessae, sicut de *innovatione* diximus.

Eiusmodi tamen *novae* Constitutiones aut Constitutionum *abrogationes* fieri non debent nisi magna de causa; saepe enim sufficit ad rem simplex Constitutionum interpretatio seu declaratio.

Declarationes autem eiusmodi tribus tractatibus diversis diebus habendis in eodem Capitulo Generali a maiori Capitularium parte probandae erunt; tunc autem perpetuum valorem acquirent, quin ab unoquoque Generali Capitulo confirmentur, nisi per novum decretum aboleantur, vel per novam declarationem reformentur [1].

[1] Cf. Const. l. I, c. 1.

4. - In quonam consistat religiosa perfectio. - An peccatum Religiosi sit gravius vel levius peccato saecularis. - Perfectio status religiosi cum perfectione status episcopalis vel simpliciter sacerdotalis comparatur.

Perfectio evangelica est perfectio charitatis, illius nempe supernaturalis et infusae virtutis qua Deum super omnia ac propter seipsum, proximum ut nosmetipsos et propter Deum diligimus. « Status religiosus, inquit S. Thomas, est quoddam spirituale exercitium ad consequendam charitatis perfectionem » [1]. Iamvero charitas necessaria est omnibus ad salutem, sed eius perfectio (quae in eo consistit ut quis sese conformet divinae voluntati nedum graviter sed etiam leviter praecipienti, imo et simpliciter consulenti) requiritur in Episcopis; Religiosi vero ad illam tendere tenentur. Hinc religiosa professio supponit statum iustitiae, et quidem proficientis; non enim censentur perfectioni charitatis studere qui vel Dei inimici sunt, vel tepentes amici. Qui igitur consuetudine graviter delinquendi irretitur, ne audeat Religionis vota nuncupare, nisi se antea emendaverit: professus autem qui in statu mortalis peccati ducit vitam, sciat se non esse verum Religiosum coram Deo, quamvis talis appareat hominibus: qui tandem vitat quidem lethalia, sed in statu verae tepiditatis torpescit, infidelis prorsus est divinae vocationi, et in magno perversionis discrimine versatur.

Media autem essentialia religiosae perfectionis asse-

[1] 2. 2, q. 189, art. 1.

quendae sunt vota Religionis; Regulae vero seu Constitutiones sunt media secundaria ac veluti fulcimenta ad vota ipsa servanda (cf. § 59).

Si quaeras utrum peccatum religiosi sit, in eodem genere, gravius an levius peccato saecularis, respondemus ad mentem S. Thomae [1] esse gravius ac levius sub diverso respectu. Est gravius: 1° *ratione voti*, si adversetur virtuti de qua votum fit in Religione, quia, praeter malitiam communem, puta fornicationis vel furti, includit malitiam sacrilegii; 2° *ratione contemptus*, si ex contemptu committatur, quia tunc peccatum includit *maiorem ingratitudinem* propter maiora beneficia a Deo accepta, ut est ipsa vocatio ad statum religiosum; 3° *ratione scandali*, si peccatum sit publicum, quia saeculares respiciunt ad vitam religiosi velut ad exemplar virtutum. Est levius (quando abest violatio voti, contemptus et scandalum) eo sensu quod, si *veniale* sit, absorbetur a multitudine bonorum operum quae facit religiosus; si *mortale*, facilius ac citius ab eo resurgit religiosus quam saecularis, tum propter consuetudinem rectae intentionis quae, licet ad horam interruptae, facilius per Dei gratiam reparatur ex manentibus pristinae pietatis reliquiis; tum quia ad resurgendum religiosus iuvatur a fratribus per salubres exhortationes et ferventes preces.

Quaeritur insuper num si, a dignitate Ordinis et a merito personali abstrahentes, statum statui comparemus, perfectio religiosa sit maior vel minor perfectione episcopali aut simpliciter sacerdotali. Respondemus esse minorem episcopali, et sacerdotali maiorem. Quoad pri-

[1] 2, 2, q. 186, a. 10. — Cf. Billuart, Diss. I, art. 7,

mum, Religiosus debet quidem perfectionem *prosequi*, sed Episcopus eam *possidere* tenetur; nam Religio est status perfectionis *acquirendae*, ideoque supponit perfectionis studium et aliquem in ea profectum; at Episcopatus est status perfectionis *acquisitae*, et *exercendae* in alios. Sic quaestionem explicat D. Thomas: « Perfectio Religiosorum et Episcoporum secundum diversa attenditur; nam ad perfectionem Religionis pertinet studium quod quis adhibet *ad propriam salutem*; ad perfectionem autem Episcopalis status pertinet adhibere studium *ad proximorum salutem* » [1].

Dices: Religiosi apostolicam vitam profitentes, nonne et ipsi, vi sui status, proximorum saluti intendunt? Respondemus eos ad id intendere *secundario*, tamquam ad propriae sanctificationis medium; at Episcopi, vi sui status, debent *primario* quaerere proximorum salutem. In Episcopis enim charitas ordinatur ad opus, iuxta illud Christi ad Petrum: *Amas me?... pasce oves meas*; in Religiosis vero opera ordinantur ad acquirendam charitatem.

At si status episcopalis perfectior est statu religioso, hic est perfectior statu simplicis Sacerdotis, etiam curati. Simplex enim Sacerdos nec regularem communemque vitam agere tenetur, nec evangelicam paupertatem voto profitetur, sicut Religiosus; eius autem erga Ordinarium obedientia non ita late se extendit ac obedienti a Religiosi erga proprios Praelatos. Praeterea, Religiosus, vi sui status, totam vitam suam Deo in religiosa disciplina devovet; e contra, Parochus haud sese obligat in perpetuum curae animarum, sicut Episcopus, cui

[1] 2, 2, q. 185, a. 4, ad I.

haec cura competit principaliter. Re quidem vera, Parochus, secus ac Episcopus, libere potest ad statum religiosum transire, saltem ordinarie loquendo (cf. § 26, n. IV); cum vero non deceat manum ponere ad aratrum et postea retrospicere, scilicet a perfectiore statu ad imperfectiorem migrare, sequitur statum religiosum per se perfectiorem esse statu simplicis Sacerdotis, etiam curati, licet ratione ordinis, officii et dignitatis, Sacerdotes, praesertim curati, simplici Religioso non Sacerdoti praestent.

5. - Necessitas approbationis Ecclesiae.

Quamvis specialis et expressa Ecclesiae approbatio non videatur esse *de essentia* status religiosi in se considerati, tamen in praesenti disciplina Ecclesia non agnoscit ut religiosas familias nisi quas ipsa expresse approbaverit. Haec autem approbatio, quae solet praecedere approbationem Regulae seu Constitutionum, duo importat; iudicium nempe de honestate et utilitate Sodalitatis quae probatur, ac facultatem Superioribus collatam admittendi Sodales ad habitum et ad votorum professionem.

Olim sufficiebat approbatio Episcoporum, sic enim ab initio approbati fuerunt Ordines Ss. Basilii, Augustini, Benedicti etc.; sed, post Concilium Lateranense IV sub Innocentio III anno 1215 celebratum, requiritur expressa approbatio Apostolicae Sedis. Id confirmavit Gregorius X anno 1274 in Concilio Lugdunensi II, in quo proscripti fuerunt Ordines religiosi post lateranense decretum absque S. Sedis approbatione fundati. Hodie tamen invaluit consuetudo tolerandi Congregationes re-

gulares ab Episcopis tantum approbatas; imo generatim a S. Sede approbari novae Sodalitates non solent, nisi prius a pluribus Episcopis approbatae fuerint; quamquam non habeantur ut verae ac formales Congregationes religiosae, nisi post explicitam S. Sedis approbationem, quae quidem non est confundenda cum Brevi simplicis *laudis*, quod solet illam praecedere.

Haec S. Sedis approbatio pro Institutis votorum simplicium efficit 1° ut eximantur ab auctoritate Ordinarii quoad ea quae in regula approbata continentur; 2° ut regula ipsa non possit immutari, nisi de auctoritate S. Sedis; 3° ut solum Summus Pontifex a votis, sive perpetuis sive temporariis, valeat dispensare, nisi ipsamet Apostolica Sedes aliquibus ex iis Institutis concesserit genericam facultatem ut eorum Superiores maiores possint subditos a votis absolvere in actu dimissionis, aut etiam cum sponte abeunt.

6. - Necessitas votorum perpetuorum. - Distinctio inter vota solemnia, et simplicia. - An solemnitas votorum sit de essentia status religiosi.

Voluntaria paupertas, castitas et obedientia constituunt praecipua evangelica consilia, quae ex quadam necessitudine ad alia quoque servanda inducunt: tria haec omnino requiruntur ad obtinendam perfectam victoriam de triplici divitiarum, sensilium delectationum, et honorum concupiscentia, quae est omnis peccati radix; quaeque opponitur divinae illi charitati ad cuius perfectionem contendimus. Atqui propositum servandi paupertatem, castitatem et obedientiam votis, et quidem perpetuis, firmandum est, ut facilius servetur, et stabi-

litatem obtineat ad constituendum *statum* vitae necessariam. Accedit religiosam perfectionem, sine votis, iisque perpetuis, non amplius constituere *plenam* illam sui ipsius ad Dei servitium donationem, de qua mox dicemus (§ 7), nec amplius habere rationem servitutis proprie dictae, qua nempe quis per totam vitam domino obligatur.

Ex dictis sequitur *Oblatos* nostros non esse Religiosos nisi in sensu latissimo et omnino improprio (§ 1); sive quod eorum institutio nondum fuerit a S. Sede expresse approbata, sive quod eorum vota sint privata ac temporaria.

Nunc distinguere inter vota simplicia et vota solemnia oportet. Haec distinctio est extrinseca et accidentalis, non intrinseca et specifica; nam solemnitas votorum pendet ab Ecclesia, quae potest reddere solemne votum simplex absque nova intentione voventis, et vice versa [1]. Nec tamen putes votum dici simplex eo quod fiat privatim et sine caeremoniis, et solemne eo quod fiat publice et cum caeremoniis; nam et solemne potest emitti privatim coram paucis, et simplex coram multitudine et in publico [2]. His praemissis, quaerimus, ex effectibus a iure ecclesiastico determinatis, in quonam vota simplicia a solemnibus differant.

I° igitur vota *simplicia*, etsi perpetua, quae emittuntur in quibusdam Institutis, et ea quae in Religionibus formalibus praemittuntur professioni solemni, per dimissionem *solvuntur;* at vota *solemnia* etiam post eiectionem perdurant.

Item, *dispensatio* a votis *simplicibus* facile, gravi

[1] Cf. De Angelis lib. III, tit. XXXI; tom. II, part. II, pag. 77.

[2] Billuart, *De Relig.* Diss. IV, art. 5.

accedente causa, conceditur ab Apostolica Sede; verum a *solemnibus* Summus Pontifex raro admodum dispensat: idque ob rationem tantum boni communis, nisi occurrant speciales circumstantiae, v. gr. grave dubium circa validitatem peractae professionis. Hinc solemniter professi non dispensantur a votis per breve seu rescriptum *saecularizationis perpetuae;* ideo, inter alias conditiones, haec ibi apponitur: *firmo tamen voto castitatis, servatisque substantialibus aliorum votorum* [1].

II° Vota tantum *simplicia,* quae emittuntur in Congregationibus et Institutis latiori sensu acceptis, solent, saltem per aliquot annos, esse temporaria: vota vero *solemnia,* quae emittuntur in Religionibus formalibus, stricto nempe sensu acceptis, sunt semper perpetua.

III° Votum *simplex* castitatis non irritat, seu non invalidat, matrimonium neque antecedens neque subsequens professionem, quamvis hoc postremum reddat omnino illicitum; quod si istud irritat pro Scholasticis Societatis Iesu, id provenit ex speciali dispositione S. Sedis, quae eorum votum, hac tantum in re, *solemnizasse* censetur. At votum *solemne* castitatis matrimonium subsequens, non modo illicitum, sed prorsus irritum reddit; praecedens vero, si non sit consummatum, irritat, non iure quidem naturae, sed ecclesiastico.

IV° Votum *simplex* paupertatis non adimit ius dominii *directi* seu *radicalis* bonorum quae vovens ante

[1] Circa obligationes Regularis *saecularizati* cf. § 116. Quoad dispensationem a votis simplicibus in Congregationibus quae non habent vota solemnia cf. § 92, circa finem. Hic tantum addimus Ordinarium posse ab iis dispensare si Sodalitates illae non sint a S. Sede approbatae: excepto tamen voto perpetuae castitatis, Sum. Pontifici reservato. Tandem circa dispensationem in genere a votis Religionis, cf. cl. Bizzarri, *Collectan.* edit. I, pagg. 145, 502, 678; edit. II, pagg. 133, 453, 624.

professionem possidebat, aut quae illi post professionem haereditate, legato vel alio iure obveniunt; tantum adimit dominium *utile,* seu ius illis utendi pro lubito absque Superiorum permissione. E contra, votum paupertatis *solemne* adimit ipsum dominium directum seu radicale, et Religiosum reddit incapacem dominii sive retinendi, sive exercendi, sive *sibi* acquirendi. Hinc, si Religiosus *simplicia* vota professus utatur, sine Superiorum licentia, bonis quorum retinet nudam proprietatem, peccat quidem contra votum paupertatis, sed eius actus sunt validi; at, si solemniter professus pro lubito disponat de bonis quae ante professionem possidebat, aut quae illi *civiliter* post professionem tamquam personae privatae obveniunt, illicite simul et invalide agit.

V° Denique votum *simplex* obedientiae confert quidem, sicut solemne, Superiori regulari facultatem irritandi omnes promissiones (excepto, iuxta aliquos, voto ingrediendi strictiorem Religionem) a subditis Deo vel hominibus factas, quae per se validae essent, dummodo cum ipsis votis Religionis aliisque eis in quibusdam Ordinibus adnexis et cum exteriori observantia ac disciplina compatibiles [1]; sed erga solemniter professos haec facultas, proveniens ex positiva dispositione Ecclesiae vota solemnizantis, est absoluta, perpetua, immutabilis; ita ut Praelatus nequeat sese illa expoliare, ac semper valeat irritare obligationes a subditis susceptas,

[1] Talia essent vota, non imprudenter tamen elicienda, vitandi aliquam culpam, obediendi absque *observatione* ac mora,. exercendi aliquem perfectionis actum cum propriis officiis compatibilem, recitandi in liberis momentis certas preces etc.: talis quoque obligatio seu promissio alicui facta orandi specialiter pro ipso, vel Missae sacrificium, si libera sit intentio, pro illo applicandi etc., dummodo haec exteriori disciplinae non obstent.

licet eas antea probaverit; e contra erga professos voto rum simplicium facultas illa provenit tantum ex imperfecta traditione sui ab eis facta; adeoque est relativa, cessat per dimissionem subditorum, et Superiores possunt illi renunciare quatenus iudicent obligationes illas minime officere Communitatis regimini. Ita, innixus, saltem ex parte, doctrinae Suarez et Bouix, sentit cl. Craisson [1].

Ex dictis patet *solemnitatem* votorum in his duobus consistere: 1° quod vovens sese absolute et immutabiliter tradit Deo, qui hanc donationem per Superiores ab Ecclesia delegatos acceptat; 2° quod per hanc sui traditionem vovens fit omnino inhabilis ad contrahendum matrimonium, ad retinendum vel acquirendum sibi dominium, et ad faciendas Deo vel hominibus promissiones quas Superior antea non probaverit, aut quas (si agatur de rebus quae regularem disciplinam turbare nequeant) irritare saltem non possit inalienabili iure.

Talis autem *solemnitas* a sola Ecclesiae auctoritate emanat; ita ut ea vota ut *solemnia* habeantur quae Ecclesia *ut talia* declarat et recipit, cetera ut *simplicia* habenda sint.

Quae omnia sic exprimit cl. Card. D' Annibale: « Vota solemnia a simplicibus distant solo iure canonico; et in eo distant, quod votum castitatis matrimonii, paupertatis dominii, obedientiae contrahendae obligationis, independenter a Superiore, incapacem reddant voventem [2] ».

Hisce praemissis, asserimus vota solemnia ad con-

[1] Craisson, *Manuale* etc. n. 2498 et seqq. — Cf. De Angelis, tomo II, part. II; vol. VI, pag. 8.

[2] *Summula* etc., De Votis.

stituendum statum religiosum late sumptum minime requiri, sed sufficere vota simplicia; Ecclesia enim agnoscit ut veros religiosos etiam illos qui in Congregationibus et Institutis ab ipsa approbatis emittunt vota simplicia ac perpetua, quamquam non habeat ut Religiones *formales* in sensu stricto nisi illas in quibus emittuntur vota solemnia.

Cetera quae vota sive simplicia sive solemnia spectant fusius tractabuntur cap. VI, *de Professione* (§ 43, seqq.), et cap. VIII, *de Regularium obligationibus* (§§ 61-72).

7. - Traditio sui, eiusque acceptatio.

« Ad statum religiosum requiritur non solum *promissio* ex parte voventis, sed totalis eius *traditio* in cultum divinum, atque huius traditionis *acceptatio nomine Dei*. Non est autem qui nomine Dei possit acceptare nisi Ecclesia, aut is cui Ecclesia committit » [1]. Haec sui traditio, stricte et absolute loquendo, non completur nisi per professionem solemnem, quia professio votorum simplicium non est ita absoluta et irrevocabilis; cum ab his votis possit quis, saltem in Religionibus formalibus aliisque privilegiatis, per dimissionem absolvi, vel per apostolicum rescriptum saecularizationis facile dispensari, et aliunde votum simplex paupertatis non auferat dominium radicale: attamen, in sensu latiori ac minus proprio, impletur etiam per professionem votorum simplicium, si sint perpetua et pu-

[1] Billuart, *De Stat. Rel.* Diss. I, art. 2. — S. Thomas (2. 2. q. 186, art. 7) hanc traditionem comparat sacrificio *holocausti*, in quo victima omnino destruebatur.

blica, atque in Sodalitate ab Ecclesia approbata emittantur.

Advertendum est autem traditionem illam non consistere in ipsis votis, sed in eorum professione coram Ecclesia, ab habente auctoritatem repraesentata, et in eius acceptatione per ipsam Ecclesiam vel per eius delegatum; Deus enim per seipsum vota, quae in promissione consistunt, acceptat; et sic promissio satis suum sortitur effectum, obligationem scilicet faciendi quod vovens promisit: at traditio seu donatio, licet possit immediate fieri intuitu Dei, non tamen ab ipso acceptatur, nec est illi grata, nisi fiat alicui homini a quo acceptari vel repudiari possit, et qui ius acquirat in rem traditam ad utendum illa, vel illi imperandum, curamque eius gerendam. Ratio est quia Deus secundum ordinariam providentiam non suscipit peculiarem curam gubernandi personam privatam immediate per seipsum; nec indiget his rebus sensibilibus ut eis immediate et sine interventu causarum secundarum utatur. Et ideo donatio sic facta Deo, vel esset vana et otiosa, vel quasi tentans Deum, ab illo immediatam curam exigendo; et propterea illi non placet nec ab ipso immediate acceptatur [1].

Ex dictis patet religiosum tradere seipsum *mediate* Deo, *immediate* vero Religioni, quae eum, auctoritate sibi a Christi Vicario facta, Dei nomine acceptat tamquam suum membrum: sed, ut animadvertit Billuart [2], « ista traditio non fit per aliquem contractum reciprocum et utrinque obligatorium, quo religiosus se mancipet et obliget Religioni ad obsequia spiritualia, et Religio se obliget profitenti ad eius alimenta et vestimenta,

[1] Suarez, *De Relig.* tract. 7 c. 4 art. 7 et 8; Craisson, n. 2467.

[2] *De Stat. relig.* Diss. IV, art. 3, § 1.

id enim foret aperte simoniacum; sed est donatio et traditio *liberalis* ex parte profitentis ad suam propriam utilitatem et perfectionem... Quod autem Religio teneatur ad alimenta et vestimenta profitentis, non est ex vi alicuius pacti vel contractus, sed ex vi institutionis monasticae, et quia Monasteriorum bona instituta et ordinata sunt in victum et amictum Religiosorum. Et sane turpe foret quod Religiosus se daret Religioni principaliter et ex pacto ut aleretur ab ea, et quod Religio daret illi alimenta ut pretium conversionis in Deum ».

CAPUT II

DE ORIGINE AC VARIIS ACCIDENTALIBUS FORMIS STATUS RELIGIOSI

SUMMARIUM. — 8. Status religiosi institutio et origo. — 9. De multiplici religiosae vitae forma, et de habitu religioso. — 10. Vita mixta cum contemplativa et activa comparatur. — 11. Quaenam sit melior perfectiorque Religio. — 12. De Congregationis nostrae origine, forma ac speciali indole.

8. - Status religiosi institutio et origo.

Institutionem et exordia status religiosi nonnulli repetunt ab antiquis illis veteris Foederis Prophetis, qui seorsum a mundo cum discipulis sanctam agebant vitam ; sed verius fateri oportet extitisse quidem in veteri Foedere figuras et adumbrationes religiosae vitae, non autem ipsum statum religiosum ; siquidem omnia tunc in figuris contigisse, legemque Mosaicam nihil ad perfectionem adduxisse docet Paulus Apostolus [1]. Dicendum igitur est statum religiosum a Christo quoad *substantiam*, et ab Ecclesia quoad *formam* fuisse institutum. Christus enim hortatus est discipulos suos ad voluntariam perpetuamque paupertatem, castitatem, plenamque omnium, etiam sui ipsius, abnegationem [2]. Apostoli vero haec Magistri consilia, cum ipso in communi

[1] I. Cor. X, 11 ; Hebr. VII, 19.

[2] Matth. XIX, 12 et 21; XVI, 24. — Luc. IX, 23.; XIV., 26, 27, 33. XVIII, 22.

viventes, observare coeperunt [1]; imo, iuxta aliquos, voverunt. Eos autem ad idem vitae genus ferventiores inter primos Christicolas excitasse indubium quoque est [2]. Ab ipsis sane apostolicis temporibus virgines ac viduae Deo sacrae, necnon, in Ecclesia Alexandrina, *cultores* ac *cultrices,* postea *ascetae* et *ascetriae,* atque, saevientibus priorum saeculorum persecutionibus, *solitarii* seu *eremitae* per deserta dispersi, formam religiosae vitae velut in germine praesignarunt; Pachomius tandem prima monasteria fundavit. Tunc monachi qui in *Laureis,* idest in eadem solitudine proximis at separatis cellulis morabantur, *anachoretae;* qui vero in *coenobiis,* idest communiter, vivebant, *coenobitae* vocati sunt. Monasticum institutum Basilius in Oriente, et Benedictus in Occidente, quo fuerat ab Athanasio delatum, perfecerunt. Dein multiformes Religiones per orbem catholicum ortae sunt et late diffusae [3].

9. - De multiplici religiosae vitae forma, et de habitu religioso.

Quamquam omnes religiosae Sodalitates eumdem *generalem finem*, idest perfectionis evangelicae studium, prosequantur, idque iisdem *essentialibus mediis*, tribus nempe religionis votis et communi vita; differunt tamen inter se aut ratione *finis particularis* quem sibi proponunt, aut ratione *particularium mediorum* quibus ad finem ordinantur, quaeque regulis aut constitutionibus unicuique propriis continentur.

[1] Matth. XIX; Marc. X; Luc. XVIII.

[2] Act. II, IV et V.

[3] Cf. Devoti, *Instit. Canon.* vol. I, lib. I, tit. 9.

Itaque praecipua religiosorum Ordinum divisio exinde oritur quod aliqui vitae *contemplativae,* alii *activae,* reliqui vitae contemplatione simul et actione *mixtae* principaliter studeant.

Ordines *contemplativi,* quorum alumni *monachi* vocantur, orationi potissimum incumbunt; et, ne otiosi potius quam contemplativi evadant, adstringuntur vitae solitariae, laboriosae atque admodum austerae. Hi sunt *Antoniani,* sive Chaldaei, sive Maronitae; *Basiliani,* sive Graeci, sive Graeco-Latini, sive Melchitae; *Benedictini Latini,* sive *nigri,* recens confoederati, sive *albi* (ut Camaldulenses, Cistercienses, Olivetani etc.); *Benedictini Armeni;* denique, *Carthusiani.*

Ordines *activi* vel militant ad protegendos christianos contra infideles, vel sese pacifice devovent corporalis misericordiae operibus exercendis. Attamen, praeter Ordines militares, nullus eorum dici potest *mere activus.*

Ordines vitae *mixtae* contemplationi plus minusve vacant, simulque operam dant sacris exercendis ministeriis, vel pueris litteris scientiisque imbuendis atque christianis moribus informandis. Dividi porro solent in *Mendicantes,* quales sunt Carmelitae, Augustiniani, Fratres Praedicatores, Minores, Minimi, Servitae etc.. et in *Canonicos* ac *Clericos Regulares* [1].

Mendicantes ita nuncupantur, quia, ex primaeva institutione, non poterant bona immobilia possidere, et solis eleemosynis sustentari debebant.

[1] Hic loquimur tantum de *Religionibus formalibus.* Ceterum, sive *Congregationes ecclesiasticae,* quae sacris addicuntur ministeriis, sive *Instituta religiosa,* quae operibus misericordiae incumbunt, sive ipsae *Congregationes saeculares* Presbyterorum, vitam *mixtam* amplectuntur. Quo autem sensu Sodalitates huiusmodi *religiosae* vocentur, alibi explicavimus (§ 1).

Canonici Regulares, sive *Lateranenses* a SS. Salvatore, sive *Praemonstratenses*, duplicis Congregationis, sive *a S. Cruce* (vulgo *Cruciati*) ad instar Canonicorum vestiuntur, sed eumdem scopum habent ac *Clerici Regulares*. Hi, nempe *Theatini*, *S. Pauli* (vulgo *Barnabitae*), *a Somascha*, *Iesuitae*, *Minores*, *Ministri infirmorum*, *a Matre Dei*, *a Scholis Piis*, in eo differunt a ceteris Religionibus formalibus, quod, ex canonica institutione, assumant munia Cleri saecularis, quasi Episcoporum auxiliarii, adeoque eosdem ritus in sacra liturgia servent ac eumdem habitum, licet modestiorem et pauperiorem, gerant ac Clerici saeculares; dum, e converso, Monachi nonnisi secundario et accidentaliter sacris ministeriis vacant. Mendicantes vero, sicut et Monachi, praeterquamquod rigidiorem profiteantur paupertatem, habitum proprium ex canonica institutione gestant, et in sacris functionibus peragendis proprios sequuntur ritus.

Nec dicas Clericos Regulares S. Pauli habere caeremoniale et habitum proprium. Etenim caeremoniale nostrum debet esse omnino conforme ritibus Ecclesiae Romanae, ut Constitutiones nostrae decernunt [1] atque praescripsit Paulus III in sua Bulla anni 1543 [2]; quoad habitum autem, praefatae Constitutiones, dum nobis praescribunt tunicam talarem, exteriorem vestem collo connexam et capitis tegumentum, seu biretum, crucis speciem exhibens, *more pariter aliorum Clericorum* [3],

[1] Lib. II, c. 5.

[2] Bullar. n. pag. 12.

[3] Lib. I, c. 3. Constitutiones manuscriptae anni 1552 haec habebant: « Sit habitus noster, ut sonant verba privilegiorum erectionis nostrae, *clericalis solitus*, scilicet tunica talaris et desuper vestis decenter longa, cum operi-

satis innuunt legislatores nostros noluisse proprium *canonice* habitum nobis imponere contra id quod praescripserat Paulus III in sua Bulla anni 1535 [1], ubi expresse decernit nos incedere debere *sub solito et communi habitu clericali*, quod terque quaterque ipsissimis verbis repetit in Bulla anni 1543 [2], quodque confirmat Iulius III in Bulla anni 1550 [3], quibus quidem decretis numquam a subsequentibus Summis Pontificibus fuit hac in re derogatum. Si igitur habitus noster hodie aliquantisper differt ab habitu Cleri saecularis, haec differentia non est *iuris*, sed *facti*, [4] neque respicit *essentialia*, sed est omnino *accidentalis;* nam habitus clericalis *essentialiter* consistit in tunica talari nigri coloris, absque cuculla, caputio, scapulari, aliisque Monachorum et Mendicantium propriis: cetera sunt mere *accidentalia*, mutationibus obnoxia, sive apud Clerum regularem, sive apud Clerum saecularem. Clerus saecularis facilius ea mutat iuxta diversa loca ac tempora; Clerus regularis non item, ac bene. Nec dedecet nos aliquo exteriori signo ab aliis Clericis distingui, quod facere consueverunt etiam aliae Clericorum Regularium Sodalitates. Decet autem ut nostri, etiam in his *accidentalibus*, conformitatem servent, nisi obstent rationabiles causae a Supe-

mento capitis (vulgo bireto) *rotundo*, antiquiorum Sacerdotum more »: at per decretum editum die 23 Septembris 1565 pileum rotundum Patres nostri abrogarunt ob desuetudinem, et admiserunt biretum quadrangulare, more romano.

[1] Bullar. n. pag. 6.

[2] Ibid. pagg. 11 seqq.

[3] Ib. pag. 18.

[4] Ad summum dici posset hanc differentiam esse *iuris nostri*, non *iuris ecclesiastici*, quamquam consuetudo hac in re non sit omnino conformis constitutionibus nostris, nec semper neque ubique eadem.

rioribus maioribus probandae; non enim fas est quemlibet ex nostris propria auctoritate prout libuerit indui, quamvis in accidentalibus, sub praetextu quod essentia habitus clericalis ab ipsis servetur.

10. - Vita mixta cum contemplativa et activa comparatur.

Vita *mixta* perfectior est *activa*, ut per se patet, nec est minus perfecta quam *contemplativa*, dummodo talis re vera sit qualis esse debet; ut nempe non solum actio contemplationem et interiorem vitam minime impediat, sed potius impulsionem ac directionem ab illis mutuetur: imo vita *mixta*, ita intellecta, est *contemplativa* perfectior, quia istius ac *activae* vitae meritum continet, et omnino conformis est vitae Apostolorum ac ipsius Christi. Fatendum tamen vitam *mixtam* raro admodum in sua perfectione inter homines inveniri; perfecta enim non est si nunc orationi nunc actioni vacemus, sed si eodem tempore quo exterius agimus, Deo, Angelorum more, uniamur, interna vita externam informante, quod quam arduum sit nemo non videt. Quid ergo? inceptone desistemus? Absit; sed, ni valeamus huiusmodi vitae perfectionem assequi, certemus saltem ad eam pro viribus accedere, memores verborum Christi dicentis: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum* [1]; et: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.... nihil impossibile erit vobis* [2].

[1] Luc. XVIII, 27.
[2] Matth. XVII, 19..

II. - Quaenam sit melior perfectiorque Religio.

Hic distinguere oportet. Aut enim quaeritur quaenam Religio sit aliis praeferenda pro quolibet individuo, aut quaeritur quaenam melior sit in genere et per se. Iamvero *pro individuo* illa erit melior perfectiorque Religio in qua quis, attentis circumstantiis, melius acquirere poterit illum perfectionis gradum ad quem divinitus vocatur, quique magis est suis viribus respondens; non enim omnes ad eumdem perfectionis gradum vocantur, nec cuicumque instituto sunt apti. *In genere* autem et *per se* unaquaeque Religio considerari potest aut in suis regulis et constitutionibus, aut in regulari observantia et Religiosorum moribus: *spectatis regulis et constitutionibus*, illa erit ceteris praeferenda, quae perfectiorem *finem specialem* sibi proponit, et ad finem aptiora atque efficaciora adhibet *media;* sed, *spectatis moribus et regulari observantia,* illa praeferenda erit in qua haec signa a S. Bonaventura tradita invenies:

1m Si religiosi ferventius ac frequentius exerceantur communiter in studio virtutum, praesertim humilitatis, charitatis et devotionis internae;

IIm Si horrent, non solum vitia et scandala, sed etiam occasiones peccatorum, et sedulo servant conscientiae puritatem;

IIIm Si apud eos boni et meliores diliguntur, foventur, et illi soli eliguntur in regimine animarum et in gubernatione aliorum;

IVm Si se subtrahunt a frequentia mundi, si honores fugiunt, divitias non ambiunt, et erubescunt se conformare huic saeculo verbis, factis moribus;

V^m Si tacite sufferunt iniurias, despectiones, damna sibi illata, nec per querimonias se vindicare cupiunt, sed seipsos Divinae Providentiae committunt.

S. Doctor sic concludit: « Quae ista signa plenius habent, Religiones meliores sunt; quae minus, sunt minus bonae; et quae nihil, nihil sunt. Qui etiam singulariter in se habet, bonus est, etiamsi alii communiter non habeant » [1].

12. - De Congregationis nostrae origine, forma ac speciali indole.

S. Antonius-Maria Zaccaria, sociis sibi adhibitis Bartholomaeo Ferrari et Iacobo Morigia, anno 1533 Mediolani fundamenta iecit Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, Clemente VII adprobante [2]. Congregationem denuo probavit ac privilegiis auxit Paulus III die 24 Iulii 1535 [3]. Interim S. Fundator Constitutiones elucubrabat, easque manuscriptas et successive augendas anno 1538 alumnis tradebat. At anno 1552, eo vita functo, novae Constitutiones manuscriptae conditae sunt cum approbatione Visitatoris Apostolici a Iulio III delegati. Tandem hodiernae Constitutiones in Capitulo Generali anni 1578 discussae, a Capitulo anni subsequentis, S. Carolo Praeside, approbatae fuerunt, atque a Gregorio XIII die 7 Novembris 1579 confirmatae [4].

Congregatio nostra inter Religiones et Ordines *for-*

[1] Quaest. 18 n Reg. S. Francisci.

[2] Bullar, n. p. 3

[3] Ib. pag. 5.

[4] Teppa, *Vita* etc. l. I, c. 13. — Bullar. n. pag. 41.

males enumeratur. Formam assumpsit Clericorum Regularium cum hoc speciali scopo, *ut, Paulo Apostolo patrono ac duce, reformationi Cleri et populi christiani sese devoveat;* primo quidem *sanctioris vitae exemplo ad veterum patrum normam,* dein *sacris ministeriis;* ut nempe *per absolutum mundi contemptum plenamque mortificationem saeculo renunciantes totosque nos Deo dedicantes, animarum saluti deservianus;* idest pro viribus conemur *divinum cultum religiosamque vivendi rationem restituere et propagare, idque sacris potissimum sermonibus habendis, sanctorumque Sacramentorum frequentatione introducenda* [1].

Sed, praeter haec duo precipua media apostolatus nostri, a Constitutionibus ipsis excitamur ad pie et misericorditer visitandos aegrotos et afflictos, sive in privatis domibus sive in hospitalibus et carceribus [2]; ad pueros rudesque homines fidei rudimentis imbuendos; ad placanda odia et iras: imo, dummodo interveniat Praepositi Generalis licentia, suscipere possumus quaecumque alia charitatis opera, quae neque sint a Constitutionibus ipsis prohibita, neque regulari disciplinae periculosa [3]. Haec autem a Constitutionibus prohibentur:

1° ne suscipiantur *Collegia cum animarum curatione adiuncta, neque etiam cum aliis conditionibus, obligationibus aut oneribus, praesertim si perpetua sint, aut ab institutis nostris aliena, aut muneribus consuetis obeundis impedimento futura:* quod tamen, an et quo

[1] Const. I. I, c. I.
[2] Ib. l. III. c. 3.
[3] Ib. c. 4.

modo quandoque, ex causa, temperari possit, iudicium sit Capituli Generalis solius [1].

2° neque *litium componendarum munus*, vel *alicuius familiae administratio*, vel *alienae pecuniae custodia aut depositum*; nisi forte, ita exigente charitate, aliquando horum aliquid concedere Praeposito Generali visum fuerit [2]:

3° neque *cura Monialium, Seminariorum Societatumque quarumlibet,* quamquam permittatur dare aliquando, petentibus Ordinariis, aliquem ex nostris sive ad visitandum sive ad concionandum sive ad audiendas extraordinarias confessiones in Monasteriis; ac insuper permittatur dare Monialibus Angelicis etiam ordinarium Confessarium; itemque probetur instituere, locali Capitulo consentiente, in domibus nostris Congregationes laicorum festis diebus habendas [3]:

4° *ne nostri ad aliorum publicas scholas tamquam ordinarii auditores accedant,* nisi forte, theologici studii causa et Magistro apud nos deficiente, ad scholas alicuius Universitatis ecclesiasticae eatur [4]:

5° *ne nostri in publicis scholis, seu Universitatibus, Magistri munere fungantur* [5]. Permittitur tamen extraneos auditores ad scholas pro Clericis nostris instituendas admittere, et extraneos magistros, doctrina et moribus probatos, ad nostros edocendos conducere [6].

Haec quidem ex Constitutionibus. At decursu tem-

[1] L. I, cap. 7.
[2] L. III, cap. 4.
[3] L. III, cap. 4.
[4] L. III, cap. 5.
[5] Ib.
[6] Ib.

poris perutile visum est puerorum institutionem in Ephebeis admittere, publicas scholas etiam pro solis extraneis instituere, curam animarum in quibusdam ex nostris Ecclesiis suscipere; et, si Praeposito Generali eiusque Consultationi opportunum videatur, permittere ut aliquis ex nostris in aliqua Universitate legat, vel confessiones Monialium quarumlibet etiam ordinarie audiat.

De Congregationis regimine seu administratione silemus, quia de re tanti momenti ex professo nobis opportuniore loco disserendum erit (§ 106).

Hic potius inquirendum videtur quaenam sit specialis indoles Congregationis nostrae, seu cuius spiritus simus. Iamvero spiritus cui servire debemus, iuxta leges traditionesque maiorum, est spiritus cui B. Paulus Apostolus servivit; adeoque 1° *absolutus mundi contemptus*, ut nempe in mundo viventes, de mundo non simus, nec cum mundo sentiamus, sed cum Christo Iesu; 2° *morum simplicitas ac humilitas non ficta*, etiam in iis quae Institutum spectant, quod est a nobis quidem prae caeteris diligendum, sed quasi minimum aestimandum; ita ut pro viribus laborantes operemur bonum, ut soli Deo, non hominibus, placeamus, nec in alio gloriemur nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; et sic de nobis quoque Patronus noster dicere valeat: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* [1]; 3° denique *plena abnegatio, praesertim voluntatis propriae*, quum obedientia Instituti nostri caput sit [2].

[1] Coloss. III, 3.

[2] Const. L. II, c. I.

CAPUT III

DE NOVIS RELIGIOSIS SODALITIIS DOMIBUSQUE FUNDANDIS.

SUMMARIUM. — 13. An liceat nova sodalitia condere. — 14. An ad nova Collegia fundanda requiratur licentia S. Sedis. — 15. An eadem S. Sedis licentia requiratur pro erectione et circumscriptione Provinciarum. — 16. An etiam licentia Ordinarii requiratur ad nova Collegia fundanda. — 17. An licentia Summi Pontificis ac Ordinarii necessaria quoque sit pro *reassumptione* priscae domus. — 18. An duplex illa venia requiratur pro *translatione* Communitatis ab uno ad aliud eiusdem urbis vel oppidi locum, vel *pro immutando scopo sive usu* Collegii. — 19. An alii Regulares loci se opponere possint novae fundationi. — 20. Quid de oppositione incolarum et Parochi? — 21. An ad novi Conventus canonicam erectionem requiratur certus Religiosorum numerus.

13. - An liceat nova sodalitia condere.

Ex iure antiquo, nemo, licet Episcopus, novam Religionem condere potest absque speciali Sanctae Sedis permissu; et haec prohibitio extenditur quoque ad Sodalitates vota solemnia non profitentes, nec non ad novas Congregationes Ordinis alias approbati, quae scilicet, antiquam Regulam adoptantes, novas et sibi proprias Constitutiones condant [1]. At, ex legitima et probata consuetudine, huic legi, quam Tridentinum Concilium non confirmavit, derogatum est. Hinc hodie novae Regularium Sodalitates cum sola approbatione Ordinarii institui possunt [2]; quamquam haberi nequeant

[1] Decr. Innoc. III in Conc. Later. IV, et Greg. X in Conc. Lugd. II.

[2] Cf. *Acta S. Sedis*, vol. XIX, pag. 25.

ut verae ac formales religiosae familiae, nisi post obtentam approbationem Apostolicae Sedis; quae Sodalitates iam ab Episcopis probatas sibique commendatas prius *laudare* solet, postea *approbare*, remissa ordinarie ad ulterius tempus approbatione regularum seu constitutionum, quas deinde approbat prius ad tempus determinatum, v. gr. ad decennium, tandem in perpetuum [1].

14. - An ad nova Collegia fundanda requiratur licentia S. Sedis.

Hanc licentiam requiri pro Italia insulisque adiacentibus extra omne dubium est, praesertim post Bullam *Instaurandae* ab Innocentio X die 22 Octobris 1652 editam, in qua prohibetur ne aliqua religiosa familia *domos vel loca quaecumque de novo recipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali.* Nec minus certum est Collegia novitiatus, etiam extra Italiam, designanda esse a S. Sede, prout praescripsit Clemens VIII in suis Decretis *de reformatione Regularium*, anno 1599, et *super receptione et educatione novitiorum,* anno 1603 [2]; nam, licet S. Congregatio sub Urbano VIII die 21 Septembris 1624 ab hac lege Regulares absolverit, istud Urbani decretum hac in re abrogatum fuit a posteriori Bulla Innocentii X nuper citata.

Quoad Collegia usui novitiatus haud destinata et extra Italiam posita, nonnulli, ut Bouix, cui consentire

[1] Cf. Bizzarri, *Collectan.* ed. I, pag. 828; II, pag. 772.

[2] *Compend.* pag. 27, n. 33, et pag. 35, n. 29.

videtur Craisson [1], autumant ea posse absque Apostolicae Sedis licentia fundari *ubi vigeat consuetudo*, (saltem pro Religionibus votis solemnibus minime adstrictis) *talem licentiam non petendi:* sed, praeterquamquod illam esse omnibus Religiosis et ubique necessariam doceant probati auctores, ut Benedictus XIV, Monacelli, Bizzarri [2], dubitandi locum iam non relinquit Leo XIII in sua Constitutione anni 1881 pro Anglia et Scotia; ubi, praemisso quod « communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus tam intra quam extra Italiam nova monasteria et conventus, sive collegia fundare, sola Episcoporum venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri »; hanc sententiam sua ipse auctoritate firmat his verbis: « Respondemus, Sodalitatibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii et Sedis Apostolicae, *non licere* » [3].

Equidem Paulus V per Breve anni 1610 veniam nobis fecerat condendi et fundandi Collegia seu Domos *ubique locorum, de sola Ordinarii licentia;* sed huic privilegio opponitur posterior Bulla Innocentii X, de qua superius; opponitur, saltem ex parte, factum quo Alexander VII anno 1655 propria auctoritate designaverit domos primi et secundi novitiatus pro nostris tunc extantibus Provinciis; opponitur demum praefata Leonis XIII Constitutio, in qua ipse derogat omnibus

[1] Bouix, *De Reg.* t. I, pag. 250; Craisson, n. 2543.

[2] Bened. XIV, *De Syn.* l. IX, c. I, n. 9. — Monacelli, *Formul.* p. I, tit. 6, form. 19. — Bizzarri, *Collect.* ed I, pag. 85; II, pag. 34.

[3] *Acta S. Sedis,* vol. XIII, pag. 481.

privilegiis et consuetudinibus cuiuscumque Ordinis religiosi sententiae ab ipso prolatae contrariis. Et quamvis praedicta Constitutio promulgata fuerit tantum in Anglia et Scotia, mens tamen S. Sedis est omnes Regulares cuiusvis nationis teneri ad illam observandam, ut nobis declaravit cl. Granniello, dum esset Secretarius S. C. EE. et RR.: licet enim occasio illius edendae Constitutionis fuerit *localis*, eius tamen finis, monita et decreta sunt *generalia*, ut ex ipso contextu luculenter patet. Unde concludendum est cum moderno Auctore ex praxi saltem et stylo Curiae licentiam Pontificis necessariam esse ad fundanda nova Monasteria etiam extra Italiam [1].

15. - An eadem S. Sedis licentia requiratur pro erectione et circumscriptione Provinciarum.

Respondemus affirmando cum cl. Craisson, saltem in Ordinibus quorum statuta, a S. Sede approbata, hanc licentiam requirunt. Addimus id esse intelligendum quoque de Congregationibus in quibus emittuntur tantum vota simplicia; siquidem in earum approbatione haec lex apponi solet in Constitutionibus inserenda, ut pro erectione ac divisione Provinciarum obtinenda sit licentia S. Congregationis Episcoporum et Regularium, sicut pro erectione domorum, pro dispensatione a votis ac pro approbatione Capitulorum Generalium qualibet vice impetranda [2].

[1] Gotelli, *Istituz. di Dir. Can.* l. III, c. 5, § 1.

[2] Craisson, n. 2992 et 2539.

16. - An etiam licentia Ordinarii requiratur ad nova Collegia fundanda.

Licentia Ordinarii omnino requiritur ad fundationem novi Conventus seu Collegii, etiamsi iam habeatur beneplacitum Summi Pontificis, nisi S. Sedes in suo rescripto ab illa conditione expresse dispenset [1]. Hanc vero licentiam concedere nequit Vicarius Generalis, nisi de speciali mandato Episcopi, neque, sede vacante, Vicarius Capitularis. Eam tamen Ordinarius denegare non potest nisi iusta de causa; et contra eius denegationem locus datur appellationi, quae quidem ad S. Congregationem EE. et RR. devolvenda est [2]. Iustae denegandae licentiae causae essent 1° *pro Conventibus virorum*, legitima eorum oppositio de quibus mox dicemus (§§ 19 et 20); 2° *pro Monasteriis mulierum*, insalubritas vel solitudo loci extra urbes et suburbia positi, necnon incommoda prospectus sive introspectus; 3° *pro utrisque*, insufficientia mediorum subsistentiae pro Communitate erigenda (§ 21).

17. - An licentia Summi Pontificis ac Ordinarii necessaria quoque sit pro reassumptione priscae domus.

Haec duplex licentia requiritur pro nova occupatione Monasterii, Conventus seu Collegii ab eodem religioso Ordine *sponte derelicti*, ut respondit S. Congreg.

[1] Cap. *Pastoralis* 19, *de Privileg.* etc. — Conc. Trid. Sess. 25, c. 3, *de Regul.* — Constit. *Romanus Pontifex* Urbani VIII, 20 Aug. 1624.

[2] Constit. *Cum alias* Greg. XV, 17 Aug. 1622.

EE. et RR. die 17 Novembris 1617 [1]; minime vero pro reassumptione domus a qua religiosi fuerint *iniuste expulsi;* exceptis forte Monasteriis mulierum clausurae papali subiectis, quia solus Papa huiusmodi clausuram ponere potest ab eaque dispensare [2]. Nec iteranda videtur praefata licentia pro restauratione Conventus terraemotu, bello, incendio aut alia simili causa, saltem ex parte, diruti.

18. - An duplex illa venia requiratur pro translatione Communitatis ab uno ad aliud eiusdem urbis vel oppidi locum, vel pro immutando scopo sive usu Collegii.

Ex Bouix et Craisson, duplex illa venia non requiritur pro *translatione,* quia haec, ut respondit S. C. EE. et RR. die 20 Sept. 1687, non est *erectio* novi Conventus. Excipiunt tamen hypothesim oppositionis factae ab alia alterius Ordinis Communitate nimis proxima, quae privilegium habeat impediendi, non solum quominus alius Conventus ibi intra definitam distantiam *fundetur* (§ 19), sed etiam quominus intra illam distantiam fiat alterius Communitatis *translatio,* quod quidem in praefato privilegio exprimi deberet. Sed Leo XIII in citata (§ 14) Constitutione anni 1881 docet *translationem* recidere in *novam fundationem,* adeoque et pro illa duplicem praefatam licentiam requiri.

Eam insuper requiri docet etiam *ad immutandum scopum seu usum* priscae fundationis, nec non *ad nova externa munera suscipienda,* addendo scilicet novum

[1] Craisson, n. 2566.

[2] Ib. n. 2580.

usum, priore retento. En eius verba: « Fieri solet utique subtilior inquisitio, an duplex ea venia sit impetranda, si, non prorsus novum opus regularis familia moliatur, sed ea quae sunt instituta velit in alios usus convertere. Verum neque obscura, neque anceps erit futura responsio, si varios, qui accidere possunt, casus distinguamus. Initio enim quis serio dubitet an ea quae pietatis religionisque causa instituta sunt, liceat in usus a religione et pietate alienos convertere? Restat itaque ut de tribus hisce dumtaxat quaeratur, utrum nempe liceat *dimovere de loco Instituta alioque transferre;* aut *immutare in usum consentaneum*, qualis esset si schola in ecclesiam, coenobium in collegium, in domum pupillis aegrotisque recipiendis, vel vicissim, mutaretur: aut demum, *priorè usu retento, novam causam sive usum inducere.* Iamvero quominus illa duo prima, privata ipsorum auctoritate, religiosi sodales efficiant, obstat Decretum Bonifacii VIII, qui eos vetuit *ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu hactenus recepta mutare* (cap. *Cum ex eo*, de excess. Prael. in 6). Rursus qui fieri potest ex duobus illis alterutrum, nisi res recidat in fundationem novam Monasteriorum, Collegiorum, domorum, Conventuum et aliorum Regularium locorum huiusmodi? Atqui id perfici prohibuit Urbanus VIII per Constitutionem *Romanus Pontifex,* servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini forma.

« Sic unum superest de quo contendatur, num, priore usu retento, nova causa vel usus adiici valeat. Tunc autem pressius rem urgere oportet et accurate dispicere utrum ea inductio alterius usus ad interiorem administrationem disciplinamque domesticam spectet,

velut si tirocinium vel collegium studiorum causa iunioribus sodalibus in coenobio constituatur; an fines interioris administrationis sit excessura, puta si inibi schola fiat aut collegium quod pateat etiam alienis.

« Plane si dictos fines excesserit, res redit ad alterutram illarum quae a Bonifacio VIII et Urbano VIII fieri pro lubito, ceu diximus, prohibentur.

« Sin autem intra limites domesticae disciplinae mutatio contineatur, suo certe iure Regulares utentur, nisi forte leges fundationis obsistant.

« Ex quibus singillatim perpensis manifesto colligitur: *Religiosis Sodalibus non licere ea quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, referatur duntaxat ad internum regimen et disciplinam regularem* » [1].

19. - An alii Regulares loci se opponere possint novae fundationi.

Praemonemus non esse hic quaestionem de Monialibus, quia pro ipsis nulla hac de re est condita lex, nec de fundatione simplicis *hospitii* (saltem si neque habeat adnexum publicum Oratorium, neque onera Missarum suscipiat) quia tunc alii Regulares rationabilem causam illud impediendi non haberent. Hisce praemissis, asserimus alios loci Regulares habere ius se opponendi erectioni novi Conventus seu Colle[illegible]i his concurrentibus adiunctis: 1° si novus Conventus sit

[1] *Acta S. Sedis* vol. XIII, pag. 493.

positus infra quatuor passuum millia ab aliis Conventibus, nisi forte aliam distantiam in favorem alicuius Ordinis S. Sedes determinaverit; 2° si ex tali proximitate appretiabile detrimentum vicinis Conventibus obvenire possit, sicut facile eveniret si et novus et praeexistentes Conventus solis fidelium elcemosynis sustentandi essent.

Episcopus igitur, antequam veniam faciat novum erigendi Conventum, tenetur vocare et audire Superiores aut Procuratores aliorum Conventuum infra praedictum spatium exstantium; et si ipsi, ob duplicem praefatam circumstantiam, oppositionem erectioni novi Conventus faciant, hanc permittere nequit; et si nihilominus permittat, opponentes possunt recurrere ad Apostolicam Sedem, quo in casu fundatio novi Conventus suspendi debet, donec a S. Sede sententia feratur; secus, novi Conventus erectio canonice irrita evaderet.

Non tenetur tamen Episcopus advocare et audire praefatos Superiores aut Procuratores, si ei aliunde constet novum Conventum erigendum non esse infra definitam distantiam, nec aliis Conventibus aliquod appretiabile detrimentum esse allaturum [1].

20. - Quid de oppositione incolarum et Parochi?

Incolae consulendi sunt ab Episcopo, si novus Conventus eorum eleemosynis sustentandus sit, nec Episcopo ipsi constet illum posse aliter sustentari [2].

[1] Const. *Quoniam* Clem. VIII, 23 Iul. 1603, et Const. *Cum alias* Greg. XV, 17 Aug. 1622.

[2] Greg. XV, l. c.

Parochus autem loci ius habet se opponendi erectioni Conventus intra fines suae paroeciae, si exinde grave et iniustum detrimentum illi sit obventurum. Dubium vero est an Episcopus teneatur illum advocare et audire, antequam Regularibus permittat novi Conventus erectionem. Sane ad id non tenetur, saltem si ei constet praefatum detrimentum haud esse rationabiliter pertimescendum. Hoc autem detrimentum debet stricte sumi, quatenus nempe sit privatio boni ad quod Parochus strictum ius habeat. Iamvero iura parochialia, quorum laesio ius praeberet Parocho se erectioni Conventus opponendi, sunt: ius ordinarie administrandi Baptismum; ius administrandi Eucharistiam in Paschate; ius administrandi Viaticum et Extremam Unctionem aegrotis; ius assistendi et benedicendi Matrimoniis incolarum Paroeciae; ius sepeliendi fideles in Paroecia defunctos, aut percipiendi emolumenta ab iure determinata si sepeliendi sint extra illam; ius percipiendi decimas et praestationes iuxta Dioecesis consuetudinem; denique ius honestae sustentationis per spontaneas fidelium oblationes, cum alia media non suppetunt, vel minime sufficiunt. Si igitur per adventum Regularium eiusmodi iura laederentur, Parochus posset se opponere erectioni Conventus, et Episcopus eam permittere non deberet, cum nulla Ecclesia in praeiudicium alterius erigenda sit. Perperam vero se opponeret Parochus sub praetextu quod exinde minueretur populi concursus ad Ecclesiam parochialem, vel quod minuerentur spontaneae fidelium oblationes (dummodo ipse possit aliunde sufficienter sustentari), vel quod minueretur existimatio seu *fiducia* fidelium erga Clerum parochialem, ob maiorem scientiam et virtutem

Cleri regularis; perperam, inquam; nam ad haec omnia bona Parochus strictum ius non habet.

21. - An ad novi Conventus canonicam erectionem requiratur certus Religiosorum numerus.

Ad Conventum seu Collegium *canonice* erigendum certus Religiosorum numerus procul dubio requiritur. Concilium Tridentinum [1] illum numerum generice excludit qui, ex redditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis, nequeat commode sustentari; sed ex Constit. *Cum alias* Gregorii XV Conventus erigi non potest nisi in eo saltem duodecim Religiosi sustentari valeant. Huic tamen decreto a S. Cong. Concilii, iussu et auctoritate Urbani VIII die 21 Iunii 1625, ita derogatum est: « Alioquin, Monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi... sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur ». Id quoque mitigavit S. Congr. EE. et RR. die 12 Maii 1741 exemptos declarans ab iurisdictione Ordinarii Conventus ubi actu habitant sex Religiosi. Hinc hodie non habentur ut *canonice* erectae domus religiosae, nisi in his ali possit praedictus religiosorum numerus [2]. Sed de hac quaestione fusius loquemur cum de *exemptione* sermo erit (§ 80, n. 3).

[1] Sess. 25, c. 3, *de Regul.*

[2] Cf. *Acta S. Sedis*, vol. VII, p. 630.

CAPUT IV

DE ALUMNORUM RECEPTIONE

Summarium. — 22. De impedimentis, et primo de haeresi vel schismate. — 23. De natalium defectu. — 24. De aetatis defectu. — 25. De gravi mentis aut corporis infirmitate. — 26. De defectu libertatis in servis, coniugatis, professis in alia Religione et Episcopis. — 27. De propinquorum necessitate. — 28. De aere alieno et obligatione reddendae rationis. — 29. De infamia. — 30. De rectae intentionis et verae vocationis defectu. — 31. Acta quae requiruntur pro receptione et admissione ad habitum.

22. - De impedimentis, et primo de haeresi vel schismate.

Quamquam Religiosi proprie dicti ius habeant sibi adiungendi alumnos, interveniente tamen pro Monialibus licentia Episcopi aut Praelati regularis cuius iurisdictioni subiiciuntur, non pauca impedimenta, sive ex iure communi, sive ex iure particulari cuiusque Instituti, huiusmodi ius limitant atque circumscribunt. Haec impedimenta sunt: haeresis et schisma, defectus natalium vel aetatis, gravis mentis vel corporis infirmitas, defectus libertatis, necessitas propinquorum, aes alienum et obligatio reddendi rationes, infamia, defectus rectae intentionis et verae vocationis. Singula explicare aggredimur. Quoad primum ex his impedimentis, cui ex iure nostro, addenda est haeresis aut schismatis *abiuratio*, recole quae iam diximus initio huius tractatus (§ 2).

23. - De natalium defectu.

Sixtus V prohibuerat, quibusdam factis exceptionibus, receptionem illegitimorum; sed Gregorius XIV Regularibus restituit antiqua privilegia legitimandi alumnos, etiam ad honores, gradus et dignitates Ordinis, salva lege scrutinii circa dotes speciales, quae natalium defectui suppleant. Prohibuit tamen quominus admittatur illegitimus, cuius pater sit iam in eodem Ordine professus, et adhuc vivens [1]. Constitutiones tamen nostrae generatim monent *caute* agendum esse in recipiendis iis qui de legitimo matrimonio nati non sint [2].

24. - De aetatis defectu.

Quoad clericos futuros, ius canonicum vetat receptionem puerorum qui usum rationis nondum adepti sint, aut qui, ratione iunioris aetatis, ea ignorantia laborent de qua mox sermo erit; salva manente lege quod nemo possit vota religionis, etsi simplicia, ante completum decimum sextum aetatis annum profiteri.

Constitutiones vero nostrae prohibent receptionem futuri Clerici qui sit decem et octo annis minor, aut quadraginta maior; quamquam permittant eum recipere ante annum decimum octavum, dummodo decimum sextum saltem attigerit, *si in ceteris valde probandus appareat;* aut post annum quadragesimum, *si virtute aut scientia emineat.*

Quoad conversos, hi, ex Pontificiis decretis, recipi

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 895, 897; II, pag. 843, 845.

[2] L. I, c. 2. Ibi invenies alia impedimenta inferius enumeranda.

nequeunt antequam compleverint annum aetatis vigesimum [1]; et per hoc ut abrogata habenda est constitutio nostra permittens recipere Conversos a decimo septimo aetatis anno. Viget tamen semper alia constitutio nobis vetans receptionem Conversi triginta quatuor annis maioris.

25. - De gravi mentis aut corporis infirmitate.

Infirmitas mentis comprehendit fatuitatem et amentiam, atque ignorantiam incompatibilem cum statu religioso in genere, vel cum muneribus et officiis particularis Instituti cui quis adscribi petit.

Quoad fatuitatem et amentiam, susceptio habitus et professio eorum qui non sunt sui compotes a sacris canonibus *irrita* declaratur.

Quoad ignorantiam, utrumque declaratur *illicitum*, ad mentem decreti Clementis VIII *Cum ad regularem*, scilicet: « Quisque recipiendus (intellige, inter clericos) eam litterarum scientiam calleat, aut illius adipiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores et, suis

[1] Decr. Alexandri VII pro Congreg. nostra an. 1655, in Bullar. n. pag. 72. — It. Decr. Clem. VIII *Cum ad regularem*, 19 Mart. 1603, n. 2, in *Compend.* pag. 31. Haec lex respicit receptionem *canonicam*, qua nempe quis admittitur ad inchoandum tirocinium, seu novitiatus probationem, adeoque ad habitum suscipiendum, seu ad solemnem vestitionem. Cum vero apud nos distinguatur inter *receptionem* in Congregationem, et *admissionem ad habitum et novitiatum*, imo inter haec duo pro Conversis quinquennium intercedat, poteritne *recipi* Conversus ante expletum vigesimum suae aetatis annum? Nostro quidem iudicio, posset, nisi obstaret lex clausurae (cf. § 70), a qua dispensationem obtinere necesse foret, si quidem hospes ille recipiendus esset in Collegio clausurae subiecto. Ceterum S. Congregatio solet nobis quotannis concedere facultatem recipiendi postulantes conversos etiam iuniores, dummodo aetatis suae annum decimum septimum excesserint.

temporibus, maiores Ordines suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens, habitum regularem postulaverit, talis eruditionis expers, in Conversorum tantum numerum referatur. Conversi vero ne recipiantur... nisi saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint » [1].

Ex Constitutionibus nostris adde, quoad infirmitatem mentis, *omnino caute et considerate* agendum esse in iis recipiendis qui fatuitatem, licet non absolutam, praeseferunt: vel qui, si de futuris Clericis agatur, litterarum rudimentis egeant, praesertim si tardi sint ingenii.

Infirmitas corporis talis intelligitur, qua quis impotens aut impar fiat vitae regularis oneribus et Sodalitatis muneribus sustinendis.

Ad hoc impedimentum reducitur *notabilis corporis deformitas*, et quae, pro Clericis, irregularitatem inducit, nisi antea S. Sedes dispensationem concedat, aut pro opportuno tempore promittat.

Constitutiones nostrae prohibent generatim ne is recipiatur cui id morbi, vitii vel impedimenti sit, ut nostris praestandis muneribus sit impar, aut institutis *minus aptus*. Quare prudenter solent nostri inquirere num postulantes, licet satis firmae valetudinis appareant, a familiis progeniti sint in quibus amentia, phtisis aliique id generis morbi veluti per haereditatem transmitti videantur.

[1] *Compend.* pag. 31, n. 2.

26. - De defectu libertatis in servis, coniugatis, professis in alia Religione et Episcopis.

I. *Servi* proprie dicti, si qui adhuc sunt apud christianos, nequeunt, nisi legitime libertate donentur, inter Religiosos admitti; et, si nihilominus admittantur, possunt, quamvis iam professi, a dominis repeti intra triennium computandum a die qua isti conscii fuerunt illorum in Religionem ingressus, non autem postea, nisi forte talia intercesserint adiuncta, ut vix intra triennium reclamare potuerint.

II. *Coniugati* considerandi sunt vel ante vel post consummationem matrimonii.

Matrimonium *ratum et consummatum* impedit ingressum in Religionem coniugis, nisi alter consentiat, aut sit reus criminis ob quod possit derelinqui. Attamen in priori hypothesi, consensus scilicet alterius partis, si pars consentiens adhuc satis iuvenis sit, debet et ipsa aliquam Religionem ingredi; si vero iam pervenerit ad aetatem in qua fere absit incontinentiae periculum, potest in saeculo remanere, emisso voto castitatis in manibus Episcopi et coram testibus. Sed si pars consentiens et adhuc iuvenis nolit et ipsa Religionem ingredi, alterius coniugis religiosa professio *illicita* erit, non obstante praefato consensu, quamvis *valida*.

Atqui, praeter compartis consensum, fieri potest ut coniux, consummato matrimonio, liber evadat ob crimen alterius. Crimina autem ob quae potest derelinquere compartem ac Religionem ingredi, sunt adulterium *carnale* (requiritur tamen sententia Episcopi si sit

occultum), et adulterium *spirituale,* haeresis nempe formalis, seu manifesta adhaesio alicui sectae haereticae.

His additur, quoad ingressum in Religionem, casus matrimonii a viro *vi consummati* non obstante declaratione ab uxore debito tempore facta suae intentionis ingrediendi Monasterium inconsummato matrimonio.

Matrimonium vero *ratum sed non consummatum* non impedit coniugis ingressum in Religionem, etiam invita comparte; haec autem, post alterius *solemnem* professionem, ad alias nuptias convolare potest. Conceditur itaque bimestre coniugibus ante matrimonii consummationem ad deliberandum num velint in statu matrimoniali permanere, an Religionem ingredi; quod quidem bimestre probabilius incipit a die praefixionis termini a Iudice faciendae. Haec ex iure canonico; at, ex iure civili moderno, coniux nequit derelinquere compartem, ipsa invita, nisi antea separatio personarum iuridice pronuncietur ab auctoritate civili. Ceterum, etiam consentiente comparte, ingressus coniugis in Religionem raro admodum et nonnisi cum summa prudentia permittendus est. [1]

III. *Professi in alia Religione* nequeunt ad aliam *laxiorem* transire, nisi de licentia Summi Pontificis; ad *aequalem* vero, nisi vel de licentia eiusdem, quando non apparet rationabilis causa istius mutationis, vel de licentia proprii Praelati, quando iusta adest causa, nec obstat, ut pro nobis, specialis iuris dispositio; ad *strictiorem* denique, nisi pro quibusdam Ordinibus ius speciale obstet, transire possunt: eo tantum casu excepto quo quis « ex temeritate vel levitate, in iacturam vel

[1] Circa impedimentum coniugii cf. De Angelis, vol. VI, pag. 127 seq.

iniuriam sui Ordinis, sub praetextu maioris religionis, ad alium Ordinem transvolaret » [1]. Tunc autem *iactura* aut *iniuria* proprii Ordinis contingeret, si ageretur de viro doctissimo vel Ordini suo valde utili, aut si, ob eius praeclaram famam, eius transitus ad aliam Religionem vergeret in dedecus et contemptum sui Ordinis. Excipe si hic Ordo esset omnino *relaxatus*, ut aiunt. « At hodie, de stylo Curiae, nemo Religiosus transire potest de una ad aliam Religionem, etiam strictiorem, sine licentia S. Sedis Apostolicae »: ita, ex Matteucci et Monacelli, cl. De Angelis [2].

Caeterum, de transitu ad aliam Religionem fusius loquemur § 111. Hic tantum animadvertere oportet ex iure nostro non esse a nobis recipiendos, nedum in altera Congregatione seu Monasterio professos, at nec eos qui eiusdem habitum susceperint. Monemur insuper *caute* agendum esse in iis recipiendis, qui quandoque *eremitae* fuerint.

IV. *Episcopi*, etiam nondum consecrati, dummodo electi sint, Religionem ingredi nequeunt absque speciali Summi Pontificis licentia; idque ob votum quo suis ecclesiis in perpetuum desponsantur. An vero haec prohibitio extendatur etiam ad Episcopos *titulares* (seu *in partibus infidelium*) non evidenter apparet.

Casus autem in quibus Summus Pontifex solet Episcopis concedere ut sese ab officio abdicent atque ad Religionem convolent sunt 1° conscientia criminis, quod, etiam peracta poenitentia, impediat exercitium pastoralis officii; 2° imbecillitas corporis, qua quis ad illum

[1] Innoc. III cap. *Licet*, 15 *De Regular.*

[2] Lib. III. tit. XXXI, n. 14, pag. 117.

officium rite obeundum impotens fiat; 3° defectus sufficientis scientiae ac recti iudicii, vel memoriae; 4° malitia plebis, qua Praelatus eius regimini renunciare cogatur, aut grave scandalum quod aliter sedari non possit; 5° irregularitas personae.

Raro tamen ob eas causas Episcopus stricte *tenetur* officio renunciare ante Superioris sententiam.

Denique, quod de Episcopis diximus extendendum non est ad alios clericos saeculares. Si tamen quaeras:

Num clerici saeculares, praesertim Curati, possint Religionem ingredi, invito vel saltem inscio Ordinario;

Respondemus non posse inscio, sed posse invito.

Non possunt inscio, quia cum sint eius administri eiusque gregis velut delegati custodes, nequeunt proprium officium derelinquere, ovesque sibi creditas, quae singulis momentis eorum cura egere possunt, deserere, antequam Episcopum moneant, et hic valeat alios ministros sufficere.

Possunt invito, ut demonstrat atque propria etiam auctoritate decernit Benedictus XIV in suo Brevi *In quo* diei 14 Ianuarii 1747, ubi sic concludit: « Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, est liber, nostra auctoritate ».

Si tamen ex transitu alicuius clerici saecularis ad statum religiosum Dioecesis grave damnum pateretur, posset Episcopus illum, etiam post emissam professionem, repetere; subiicit enim Benedictus XIV (l. c.): « Quod vero ius, certis in casibus certisve de causis, competit Superiori Ordinis laxioris ut suum subditum regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam post solemnem professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat, idem similiter, certis in casibus

iustisque exigentibus causis, Episcopo competit ut suum Clericum saecularem, Ordini regulari adscriptum, retinere possit ».

Adde Clericum saecularem, qui sese forte obligaverit ad inserviendum Dioecesi per aliquod determinatum tempus, non posse, invito Episcopo, pactum infringere ingrediendo Religionem ante finem illius temporis; quia si status religiosus est de consilio, debiti solutio est de praecepto.

27. - De propinquorum necessitate.

Haec impedit in quibusdam casibus quominus aliquis Religionem ingrediatur: qua de re distinguere oportet varios sive *propinquitatis* sive *necessitatis* gradus.

Propinqui vel ascendentes sunt, vel descendentes, vel collaterales.

Necessitas autem vel est communis, vel gravis, vel extrema.

Iamvero 1° *ascendentes* nequeunt a filiis derelinqui, Religionis profitendi gratia, nec in necessitate *extrema*, quae nempe eos inducat in proximum mortis periculum, nec in necessitate *gravi*, qua scilicet ad parce modiceque vivendum subire cogantur extraordinarios labores, exstraordinariis implicari difficultatibus, atque a proprio statu decidere, puta, ex nobili vel civili statu ad statum famulorum vel mendicantium reduci.

Imo filii iam professi tenentur Religionem deserere ut subveniant parentibus in *extrema* necessitate versantibus; in *gravi* autem, iuxta aliquos tenentur, iuxta omnes possunt, de Superiorum licentia. Cessante ne-

cessitate ad Claustra redibunt. Si tamen nullo modo valerent parentes sublevare, vel in saeculo exponerentur proximo graviter delinquendi periculo, possent sive Religionem ingredi, sive in ea permanere, non obstante parentum vel gravissima necessitate.

Quod si parentes versentur tantum in necessitate *communi,* in qua nempe, non quidem necessaria, sed congrua eis desint, ita ut parce modiceque vivere cogantur, ac eorum status potius ad progressivam imminutionem quam ad augmentum tendere videatur, tunc filii puberes possunt, etiam illis invitis, Religionem ingredi; quamquam generatim loquendo deceat eos saltem aliquantulum expectare parentum consensum ac benedictionem, nisi adsit grave periculum in mora. Hoc tamen iure invitis parentibus uti nequibunt, dum *maiores* non evadant, ubi lex civilis illud non agnoscit.

2° *Descendentes,* si non sint legitime emancipati, nequeunt a parentibus, Religionis profitendae gratia, derelinqui; nisi antea parentes eorum status conservationi convenienter provideant, atque probam idoneamque personam constituant, quae eorum educationi prospiciat, ac bona diligenter administret. Si tamen filii in necessitate, etiam *communi,* sint positi, non licet parentibus eos, tali necessitate perdurante, deserere.

Quod si filii sint legitime *emancipati,* parentes possunt, stricto iure, eos deserere in necessitate *communi,* sed plerumque aliud suadet charitas. Sane hac in re, ut notat D. Thomas [1], magis obligantur parentes ad filios, quam filii ad parentes.

[1] 2, 2, q. 26, art. 9; et q. 189, art. 6

3° *Collaterales* aut fratres et sorores sunt, aut remotiores propinqui.

Fratres ac sorores, si nondum emancipati (supponuntur autem orphani et eius qui vult Religionem ingredi cura egentes), aequiparantur parentibus, adeoque neque *extremae* neque *gravi* necessitati exponendi sunt; si vero emancipati, nequeunt deseri in necessitate *extrema*, imo nec in *gravi* si exinde exponantur periculo decidendi in extremam, aut se pervertendi, sicut quandoque sororibus contingit.

Ceteri propinqui deseri possunt, saltem stricto iure, nisi in *extrema* necessitate constituantur.

28. - De aere alieno et obligatione reddendae rationis.

Constitutiones nostrae inculcant *caute* agendum esse in iis recipiendis, qui aere alieno sunt obstricti, aut personas aliquas, quarum sustentatio ad eos aliquo modo pertineat, relicturi: sed hoc intelligendum est iuxta theologorum doctrinam ac iuris canonici principia. Igitur, generatim loquendo, *debitores* nequeunt Religionem ingredi, quia debiti solutio, cum sit praeceptum, anteponi debet consilio de religiosa perfectione. Si filiusfamilias nequit parentes in gravi necessitate deserere, ut fiat Religiosus, quia Religio non dispensat a pietate filiali; nec debitor potest Religionem ingredi, quia haec a lege iustitiae non dispensat. Hinc Sixtus V in sua Bulla *Cum de omnibus* vetuit ne inter Religiosos reciperentur « ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravati, vel reddendis ratiociniis ita obnoxii, ut ex huiusmodi causis vel molestia eis iam allata sit, vel

timendum sit ne inferatur ». Qui contra hoc decretum aliquem in Religione reciperet, incurreret privationem vocis activae et passivae, officiorum quoque, graduum, dignitatum, nec non inhabilitatem ad illa. Professio autem eorum qui sic reciperentur, ab eodem Summo Pontifice *irrita* declarata fuerat; sed Clemens VIII in sua Constitutione *In Suprema* diei 2 Aprilis 1602, hanc nullitatem sustulit [1]. Plures tamen patitur exceptiones lex ista: permittitur enim ingressus in Religionem 1° si ille qui tenetur rationes reddere, eas brevi, facile et sine litibus vel molestia reddere valeat [2]; 2° si debitor sit parum gravatus, aut facile debitum solvere possit, sive illud ipsemet solvat durante novitiatu, sive illius solvendi onus, etiam post debitoris professionem, vel Religio ipsa, vel quivis alius fide dignus suscipiat; 3° si debitor facilius valeat debitum solvere in Religione quam in saeculo, ob proventuum oeconomiam ac minores expensas, quod quidem cederet in favorem creditorum; 4° si debitor ingrediatur Ordinem militarem, non quidem ut clericus, sed ut eques proprie dictus; quia equites bona propria administrant adeoque non magis redduntur inhabiles ad solvendum quam si remanerent in saeculo; eum tamen Superiores recipere non debent, si grave inde pro ipso Ordine dedecus consequatur; 5° si debitum sit erga creditores incertos, ita ut restitutio fieri nequeat nisi pauperibus aut operibus piis, excepto tamen quod quis debitor sit, non nomine proprio, sed nomine alieno, v. gr. si adeundo

[1] Lex Sixtina non respicit Sanctimoniales, quae tamen non ideo a naturali lege iustitiae absolvuntur.

[2] Rationes reddere tenentur tutores, procuratores et, in genere, administratores rei alienae, publicae vel privatae.

successionem susceperit onus restituendi aliquid pauperibus: tunc enim, salvis exceptionibus inferius, ultimo loco, ponendis, deberet suum in Religionem ingressum differre usque ad solutionem istius debiti, nisi summam illam pecuniae tradere velit ipsi Conventui eum recipienti, non quidem ut pensionem pro novitiatus expensis, sed ut eleemosynam in favorem pauperum aut velut subsidium pro piis operibus; 6° si quis ex *liberali* promissione debitor sit, quia huiusmodi promissiones semper includunt tacitam conditionem quod servari valeant sine gravi incommodo aut spirituali damno spondentis; quin imo et ipsum votum largiendi aliquid pauperibus potest commutari in vota religiosa, cum talis mutatio sit in melius bonum; 7° si debitor nullam vel fere nullam rationabilem spem habeat satisfaciendi creditoribus, aut si ex diuturna mora in saeculo exponeretur speciali gravique periculo spiritualis ruinae, aut demum si non posset restituere nisi per media omnino insolita ac ipsum dedecentia. In hoc tamen triplici casu debitor, ante ingressum in Religionem, tenetur cedere bonis suis, saltem privatim et amicaliter, in favorem creditorum. « Si aliquis, inquit D. Thomas, sit obligatus ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite praetermittere, ut religionem ingrediatur: si tamen debeat aliquam pecuniam et non habeat unde reddat, tenetur facere quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditori; propter pecuniam autem persona liberi hominis... non obligatur, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae; unde licite potest, exhibitis rebus suis, religionem intrare,

nec tenetur in saeculo remanere ut procuret unde debitum reddat [1] ».

Haec S. Doctoris doctrina destrui non videtur a Constitutione Sixtina, si intelligatur de his qui *inculpabiliter* fiunt restituendo impares, atque sine fraude bonis cedunt in favorem creditorum. Secus dicendum esset de his qui aes alienum supra facultates suas contrahunt, atque se *insolvibiles*, quos nuncupant, propria culpa reddunt, v. gr. per dilapidationem, aut cum fraude bonis cedunt ne integrum debitum solvant. Hi procul dubio a Religione arcendi videntur vi Sixtinae Constitutionis.

Remanet nunc inquirendum ad quid Religio vel ipsimet debitores teneantur post istorum professionem, si, iuxta casus nuper exceptos, legitime recepti fuerint. Respondemus itaque per professionem religiosam debitores non absolvi a naturali obligatione solvendi debita, quatenus id valeant. Hinc, si Religioni attulerint quaedam bona, haec erunt creditoribus tribuenda, quia successio transit cum oneribus. Item, si illis obveniant legata vel dona personalia, haec probabilius, saltem ex aequitate, debentur creditoribus. Denique, si Superiores illis concedant liberum alicuius peculii usum, hoc impendendum erit in favorem creditorum.

Religio autem non tenetur ad aliquid restituendum pro ipsis, nisi eos receperit sciens esse aere alieno gravatos, iisque in adiunctis quae eorum receptionem reddebant illicitam.

Sed, quid si debitores illi post professionem a Religione legitime exeant? Respondemus eos, quatenus

[1] 2, 2, q. 189, art. 6, ad 3.

denuo fiunt dominii capaces, utique cum limitibus quoad solemniter professos describendis cum sermo erit de saecularizatis (§ 116), ad restitutionem teneri, nisi adsit aliqua ex causis a restitutione excusantibus.

29. - De infamia.

Illicita, non tamen irrita, est sive receptio sive professio eorum quos ex publicis actis constat fuisse apud curiam saecularem accusatos vel inquisitos de crimine furti, latrocinii, homicidii, et de similibus aliis vel etiam gravioribus sceleribus. Excipiuntur mulieres, et illi qui in iudicio absoluti fuerint ac innocentes declarati; pro his igitur valida erit ac licita sive receptio sive professio. At Constitutiones nostrae admonent *omnino caute et considerate* agendum in iis recipiendis qui *infamia aliqua* laborant (scilicet, praeter iuridicam de qua supra), praesertim in loco ubi recipi petunt. Idque eo magis necessarium apparet si agatur de futuris Clericis, quippe advocari possunt ad sacra ministeria obeunda iis ipsis in locis ubi infames aliquando fuerint.

30. - De rectae intentionis et verae vocationis defectu.

Quoad intentionem, non sufficit quod quis nec prava intentione, nec fine mere humano moveatur, sed omnino requiritur ut ducatur intentione sancta ac supernaturali ratione.

Quoad vocationem, certum est eam esse necessariam, vocationem inquam divinam. Porro, *ordinarie* loquendo, vocatio dignoscitur ex aptitudine et ex volun-

tatis inclinatione. *Aptitudo* ad statum religiosum consistit, *in genere*, praesertim in rectitudine iudicii, in bonitate indolis, in docilitate animi, nec non in carentia impedimentorum quae superius enumeravimus; *in specie* vero consistit in idoneitate ad munia atque officia *talis* Religionis cui quis adscribi cogitat. *Inclinatio* autem voluntatis ad statum religiosum amplectendum debet esse *rationabilis*, seu solidis innixa rationibus; *constans*, non obstantibus tentationibus diaboli aut naturae sensibilis repugnantia; ac *recta* quoad causam moventem.

Extraordinarie vocatio manifestari nonnumquam solet per divinam *revelationem*, vel per evidentem *inspirationem* qua quis invincibiliter ad statum religiosum Spiritus Sancti motu excitatur; sed, ad vitandas illusiones, huiusmodi revelationes vel inspirationes submitti debent iudicio prudentissimorum virorum, qui probabunt spiritus, ut Apostolus ait; nec probabunt haec signa vocationis extraordinaria, si cum signis ordinariis omnino pugnent.

Ceterum Constitutiones nostrae declarant « *omnino caute et considerate* agendum in iis recipiendis, qui humanum *aliquid* in consilio suo spectant, non autem *solam* vitae perfectioris rationem: qui pertinacis, contumacis, superbi, fastidiosi ingenii esse videntur; et quorum consuetudo graviter peccandi inveteraverit » [1].

His positis, sic fas est concludere: sicut qui *certae* vocationi resistit gravi sese exponit periculo aeternum pereundi; ita graviter delinquit quisquis sine divina vocatione vota Religionis, pravo vel mere humano fine ductus, emittit; quod si bono fine agat, etsi minime

[1] L. 1, c. 2.

vocatus, non peccat lethaliter, dummodo firmiter velit omnia huius status officia implere, et sic speret gratiam vocationis subsequentis.

31. - Acta quae requiruntur pro receptione et admissione ad habitum.

Nota, *receptionem* formalem et *admissionem ad habitum* seu ad inchoandum tirocinium, idem sonare in iure canonico, verum apud nos ut diversa haberi. Igitur quae pro receptione vel pro admissione ad habitum in iure communi praescribuntur, de utroque simul intelligenda sunt; quae vero iuris nostri specialis sunt, divisim accipiantur oportet. Itaque:

1° Nemo potest *admitti ad habitum* absque litteris testimonialibus cum *Episcopi originis*, tum *Ordinariorum* locorum ubi Postulans *ultra annum* moratus fuerit *post expletum decimum quintum annum* aetatis suae. Nisi id observetur, professio, licet valida, erit illicita, et Superiores regulares incurrent poenam privationis officiorum, vocisque activae et passivae, nec non inhabilitatis ad illa officia in posterum obtinenda[1].

Episcopi vero *tenentur* praefatas litteras testimoniales dare; si tamen recusent, eo quod se opponant ingressui Postulantis in Religionem, recurrendum erit ad S. Congregationem super statu Regularium.

Sufficit autem si huiusmodi litterae fiant *in forma privata* et *secreta*; et, quamvis in illis Ordinarii referre debeant de Postulantis natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione et scientia; an sit inquisitus,

[1] Decr. *Romani Pontifices* a Pio IX ed. die 25 Ian. 1848. *Compend.* pag. 5.

aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius, tamen *sufficiunt* testimoniales in quibus Ordinarii referunt dumtaxat *in genere* de qualitatibus Postulantis.

Imo Postulantes admitti possunt ad habitum et novitiatum, si Ordinarius a Superiore regulari requisitus expresse respondeat se circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, et quia a potestate civili quin informet prohibitus; vel quia, cum de militibus agitur, ipse nullos habeat delegatos in exercitu, nec Parochi ullam de his notitiam habere possint; dummodo testimonialium Episcopalium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda, ac insuper Postulantes, antequam ad habitum admittantur, maneant per tres saltem menses in Conventu, ibique diligenter probentur [1].

Praeterea huiusmodi Ordinariorum testimoniales litterae minime requiruntur pro receptione, seu admissione ad habitum, eorum qui, *iam professi in alio Ordine,* ad novum Ordinem transmigrare *legitime* cupiunt (cf. § 26, n. III); pro ipsis enim sufficiunt testimoniales Superioris Generalis vel Provincialis Ordinis relinquendi, vel, eorum defectu, Superioris localis domus ubi Postulantes illi ultimo fuerunt [2].

Verum pro novitiis *non professis* aliorum Ordinum, et etiam pro *professis* sed *saecularizatis*, requiruntur testimoniales Ordinariorum [3].

[1] S. C. sup. Stat. Reg. 1 Maii 1851. *Compend.* pag. 90-91.
[2] S. C. 29 Maii 1857. *Collectan.* ed. 1, pag. 901; 2, pag. 850.
[3] S. C. 5 Nov. 1852. *Collectan.* ed. 1, pag. 900; 2, pag. 849.

Denique, pro iterum recipiendis novitiis qui ante professionem Religioni valedixerant, ac denuo ab eadem recipi petunt, requiruntur testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus integrum annum manserint post dimissum habitum.

Idem dicito de iis, qui, post professionem votorum simplicium, vel per dimissionem, vel per S. Sedis rescriptum liberi effecti, ad pristinam vocationem cupiunt redire (Cf. § 58 - *De iterum recipiendis*).

2° Ante admissionem ad habitum, exhibendum est documentum suscepti Baptismatis[1]. Praestat quoque habere testimonium receptae Confirmationis.

3° Oportet de Postulantis conditione, praeterita vita, spiritu etc., etiam per extraneos et longinquos, diligenter investigare, ac praesertim an aliquod impedimentum, sive ex iure canonico, sive ex nostro, eius receptioni obstet (cf. §§ 22-31); et, si adsit aliquod ex iure nostro impedimentum minoris momenti in quo dispensandum videatur, ea dispensatio a Praeposito Generali eiusque Consultatione petatur, antequam deveniatur ad actum formalis receptionis.

4° Requiritur, antequam quis in Congregationem nostram recipiatur, duplex consueta *petitio* a Postulante coram Praeposito locali eiusque Discretis facienda; sed, ut a prima ad secundam deveniri possit, exigitur localis Capituli consensus.

Post secundam autem *petitionem* Postulans subscribit consuetae *protestationi* de certis impedimentis haud revelatis, ac *declarationi* de non exigendis emolumentis sive indemnitatibus pecuniariis, si aliquando, quacumque de causa, abierit.

[1] S. C. 29 Maii 1857. *Collectan.* ed. 1, pag. 901; 2, pag. 850.

Sequitur Capitulum locale in quo Vocales Collegii deliberant an Postulans in Congregationem nostram ut Clericus, vel ut Conversus, vel ut Oblatus (sive clericus sive conversus) recipi mereatur.

Dein Capitulum Collegii Praepositi Provincialis, cui hic praesidet, de eadem re agit; sed, si petitiones fiant in hoc ipso Collegio ubi residet Provincialis, unum tantum Capitulum pro receptione fit, dummodo a Provinciali convocetur.

Tandem Consultatio Provincialis (extra Italiam) confirmat vel irritat deliberationem Capituli Collegii Provincialis: attamen, si Capitulum reiecerit Postulantem, et Consultatio eum recipiendum duxerit, res deferenda erit ad Praepositum Generalem eiusque Consultationem.

5° Pro *admissione ad habitum* ius nostrum requirit ut Postulans, postquam in Congregationem receptus fuerit, et antequam tirocinium incipiat, duorum vel trium mensium spatio in loco Novitiatus probetur, si sit futurus Clericus; per quinquennium vero, sive ibi sive alibi, si Conversus. Interim uterque, iuxta Constitutionum praescriptum, in vestitu suo, modesto tamen et humili, maneat.

Item, antequam habitu nostro formaliter seu solemniter quis induatur, debet per quindecim vel viginti dies spiritualibus exercitationibus, a colloquio fratrum segregatus, vacare, ac generalem suorum peccatorum confessionem facere.

Hac prima probatione peracta, Capitulum locale de habitu illi tradendo deliberat. Praepositus actum capitulare, cum suis litteris, ubi sententiam suam aperit, ad Provincialem mittit. Quod si Capitulum negative

responderit, Vocales ceteri litteras quoque suas scribant Provinciali. Hic vero, cum consensu, prius Collegii suae residentiae, dein suae Consultationis, statuat an Postulans sit admittendus ad habitum, vel potius dimittendus.

Provincialis potest, cum sua Consultatione, reprobare quem Capitulum sui Collegii probaverit; sed, si probet quem illud reprobaverit, recurrendum erit ad Praepositum Generalem eiusque Consultationem, ut de receptione diximus.

His omnibus absolutis, Provincialis in locum Novitiatus ad habitum tradendum concedere debebit, iuxta Constitutiones; sed, si impediatur, alium delegabit.

7° At *in Italia,* ubi viget Pontificium Decretum *Regulari Disciplinae,* post Capitulum locale a Provinciali pro receptione convocatum, et non antea [1], fieri debet *examen* Postulantis, vel immediate ab ipsis Examinatoribus Provincialibus, vel per Delegatum a Provinciali, quo in casu Delegatus suam relationem scripto exaratam ad Provincialem mittet. Post praedictum *examen,* fieri debet *scrutinium* ab Examinatoribus Provincialibus simul collectis.

Hi nominandi sunt numero septem, praeter Provincialem qui est Examinator natus, in Capitulo Provinciali, et inter eos nominandi sunt duo Consultores ordinarii qui tunc hoc munere funguntur. In Congregationibus tamen quae Religiosorum inopia laborant, quatuor tantum sufficiunt, ut declaravit S. C. die 16 Ianuarii 1852 [2].

[1] Ex audientia Pii IX, 24 Febr. 1860. Ibi quaestio est de *admissione ad habitum,* quae, ut iam adnotavimus, in iure canonico aequivalet *receptioni. Collectan.* ed. I, pag. 902; II, pag. 851.

[2] *Compend.* pag. 93, n. 5.

Unicuique *examini* et *scrutinio* tres saltem Examinatores, praeter Provincialem, adesse oportet. Si, aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia quacumque de causa, numerus Examinatorum provincialium in parte vel etiam totaliter deficiat, nec tempus celebrationis Capituli provincialis advenerit, Examinatores eligantur per secreta suffragia a Provinciali cum suis Consultoribus; et, si Provincialis Consultores non habeat, convocet ad hanc electionem faciendam quatuor Religiosos graduatos vel, si graduati desint, quatuor ex gravioribus eiusdem Provinciae (S. C. l. c. n. 2.). Igitur apud nos convocabit duos Consultores extraordinarios, praeter ordinarios.

Hoc vero *scrutinium* extra Italiam *Consultationi* Provincialis hac in re requisitae supplet.

Demum, *relatio examinis* et *scrutinii,* una cum actis et documentis de quibus supra, a Provinciali mittatur ad Generalem, qui, cum tribus saltem Examinatoribus Generalibus, *secundum scrutinium* instituet pro Postulantis admissione vel reiectione.

Examinatores Generales nominantur in Capitulo Generali. Debent esse septem praeter Superiorem Generalem; sed ob pauciorem Religiosorum numerum, ad quatuor reduci possunt. Inter eos duo debent sumi ex Assistentibus vel aliis Consiliariis generalibus [1]. Superior Generalis erit praeses, cum iure suffragii, in Consilio Examinatorum generalium, et Procurator Generalis, uti *Examinator natus,* praeter electos, habendus erit.

Si, ut modo diximus de Examinatoribus provin-

[1] Decr. *Regul. Discipl. Compend.* pag. 9, n. VI.

cialibus, numerus Examinatorum generalium deficiat, nec tempus Capituli generalis advenerit, Examinatores usque ad proximum Capitulum duraturi eligantur per secreta suffragia a Praeposito Generali una cum tribus saltem ex Assistentibus (S. C. l. c.)

Acta *primi scrutinii*, cum documentis adnexis, expendet Superior Generalis, deinde ea expendenda tradet Procuratori Generali, et duobus saltem ex aliis Examinatoribus Generalibus, tribus vero, si absit Procurator Generalis; postremo, eos convocet ad *secundum scrutinium*. S. Congregatio declaravit « in Ordinibus tam amplis quam exiguis sufficere tres Examinatores provinciales, praeter Superiorem Provincialem, ad primum scrutinium, et tres Examinatores Generales, praeter Superiorem generalem, ad secundum scrutinium peragendum; et alios Examinatores ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse » [1].

Secundum scrutinium non potest admittere Postulantem quem Examinatores provinciales in primo reiecerint; sed potest reprobare quem illi probaverint.

Potest insuper Superior Generalis iusta de causa reprobare quem vel ipsi Generales Examinatores in secundo scrutinio probaverint [2].

Denique, si omnia prospere in favorem Postulantis cesserint, Superior Generalis mittet ad Provincialem decretum receptionis.

Cetera quae hic desiderari possent, invenies, quoad ius commune, in citato *Compendio Decretorum et Constitutionum Apostolicarum* (pag. 7), et, quoad ius no-

[1] *Compend.* pag. 94.

[2] Decretum *Regulari Disciplinae*, n. XII. *Compend.* pag. 11.

strum, cum illo concordatum, in *Formulario* nostro [1].

Quoad Sanctimoniales, Postulantes ante susceptionem habitus religiosi, et Novitiae antequam vota profiteantur, debent ab Ordinario, vel ab eius Vicario Generali, aut ab eorum delegato, diligenter *examinari* circa haec tria, et non amplius: *an sint coactae, an seductae, an sciant quid agant* (Conc. Trid. Sess. 25, c. 17). Pro secundo examine Praeses tenetur praemonere Episcopum mense ante Novitiae professionem, sub poena suspensionis ab officio ad nutum ipsius Ordinarii duraturae; hic vero tenetur examinare Novitiam in prima medietate illius mensis; secus de examine instituendo iam nequit se ingerere.

Probabilius in Institutis votorum simplicium sufficit examen ante professionem: an vero unum tantum sufficiat etiam pro Monasteriis quae habent vota solemnia, dubium est; neutrum requiri ad *validitatem* professionis, certum videtur; quia quoties lex inducere vult *nullitatem* actus, illam clare debet exprimere [1].

[1] Edit. an. 1893, a pag. 13 ad pag. 47 pro actis a Collegio peragendis; a pag. 157 ad pag. 163 pro actis Provinc.; a pag. 213 ad pag. 221 pro actis Gener.

[2] Gotelli, *Istituz. di Diritto Can.* l. I, c. X, § 3.

CAPUT V

DE TIROCINIO SEU NOVITIATU

SUMMARIUM. — 32. Quid sit Novitiatus et quandonam incipiat. — 33. Quantum perdurare debeat, et an possit interrumpi vel suspendi. — 34. An tempus novitiatus possit prorogari. — 35. De novitiatus loco, et de vi decretorum Clementis VIII pro reformatione Regularium, ac receptione et educatione novitiorum. — 36. De novitiorum Magistro eiusque Socio. — 37. De novitiorum habitu. — 38. An novitii nondum professi teneantur Superioribus Ordinis ex conscientia obedire. — 39. An novitii possint cuicumque confiteri. — 40. An novitii possint pro lubito eiici, aut proprio marte abire. — 41. An novitii dimissio eum liberet a voto ingrediendi Religionem. — 42. De novitiorum privilegiis deque eorum educatione.

32. - Quid sit Novitiatus et quandonam incipiat.

Nemo efficitur Religiosus nisi per votorum professionem iuxta leges Ecclesiae emissam post canonicam novitiatus probationem. Novitiatus autem est mutuum experimentum quo Religio, perpensis dotibus moribusque novitii, valeat iudicare an expediat illum sibi adiungere, necne; et novitius, propriis viribus nec non regulis et usibus Religionis perspectis, iudicare possit num sibi expediat illam profiteri.

Haec canonica probatio incipit a die qua Postulans habitu Religionis formaliter, seu solemniter, induitur, saltem in Religionibus quae habitum sibi canonice proprium habent; nam in aliis, ut notant Ballerini et Bucceroni, novitiatus incipit a momento per regulam et usum definito. Atqui apud nos regula et usus definiunt momentum *solemnis vestitionis*, licet habitum canonice

proprium non habeamus, ut alibi ostendimus (§ 9). Brevius: « Novitiatus annus computandus est a momento suscepti habitus, vel, si habitus susceptio in aliqua Religione non requiratur, a momento ingressus in Novitiatum ». Ita Bouix (*de Regular.* vol. I, pag. 176) ex Schmalzgrueber.

33. - Quantum perdurare debeat, et an possit interrumpi vel suspendi.

Novitiatus, secluso privilegio, debet durare saltem integrum annum; secus, ex decreto Concilii Tridentini [1], professio foret *nulla*. Diximus « secluso privilegio »; nam ex privilegio Pontificio novitiis morbo laborantibus qui, iudicio medici, lethalis sit, conceditur ut ante expletum probationis annum vota Religionis emittant, dummodo habeant requisitam aetatem. Si tamen convalescant, probabiliter tenentur annum novitiatus complere, eoque expleto, renovare professionem [2].

Annus autem novitiatus computandus est de momento ad momentum ut sit integer; si duae horae desint, professio erit *irrita* [3]; occurrente vero anno bissextili, expectari debet lapsus diei addendi, antequam professio fiat [4].

Quod si novitius, anno novitiatus *absoluto*, Conventum deserat, sive de Superiorum licentia, sive sine illa, sive cum intentione redeundi, sive contra, postea autem redeat ac benigne recipiatur, non tenetur, antequam

[1] Sess. 25, c. 15, *de Regul.*

[2] De Angelis, t. III, pars II.

[3] S. C. 17 Ian. 1617.

[4] S. C. 6 Iul. 1617, et 21 Aug. 1623. C. De Angelis l. c.

religiosa vota nuncupet, ad iterandum tirocinium, nisi eius aut Religionis conditio adeo sit immutata ut novum annuum experimentum necessarium videatur. Ita declaravit S. Congregatio Concilii die 27 Februarii 1597 pro iis qui cum licentia exeunt, et die 12 Februarii 1598 pro iis qui exeunt sine licentia [1]. Quod si mutatio conditionum non sit talis quae requirat novum experimentum, v. gr. si novitius exivit ex levitate et inconstantia animi, potest quidem Religio eum non amplius admittere, aut eius professionem differre, sed non tenetur exigere ut annum tirocinii renovet [2].

Verum qui, absoluto novitiatu in aliqua Religione, transit ad aliam, debet ab ista novo probationis anno submitti, nisi agatur de solo transitu ad aliud Monasterium vel ad aliam Provinciam eiusdem Ordinis, sub eodem Generali Antistite.

Nec *integer* tantum, sed et *continuus*, seu absque interruptione, decurrere debet annus novitiatus: secus *nulla* esset professio. Sic si novitius, dimisso habitu, sive sponte sive missus, e Conventu cum animo Religionem deserendi abierit, et paulo post ad Conventum rediret denuo recipi petens, ac iterum benigne reciperetur, denuo annum novitiatus inchoare deberet. Idem dicendum si, ante absolutum tirocinii tempus, *privata auctoritate* discederet ad ingrediendum aliud Monasterium vel aliam Provinciam eiusdem Ordinis.

Non interrumpitur tamen novitiatus, si novitius, etiam per notabilem anni partem, puta per sex menses, extra Novitiatum, *cum habitu et de Superiorum*

[1] Schmalzgrueber in tit. *de Regul.* n. 70; et Bouix, *de Regul.* vol. I, pag. 577.

[2] Billuart, *de Stat. Relig.* Diss. IV, art. 2, § 5.

licentia, negotiorum vel curandae valetudinis gratia, vel alia iusta de causa, degat. Ita communiter Doctores, ait Bouix, qui citat Fagnanum, Reiffenstuel, nec non haec verba *Thesauri resolutionum* etc: « Novitiatus non dicitur interruptus, si novitius extra claustra ex iusta causa et cum licentia Superioris absit, iuxta sententiam quam amplexa est S. Congregatio »[1].

Item, novitiatus non interrumpitur, si novitius, vi coactus aut per iniuriam, discedat, vel ob falsam accusationem missus fiat, et postea liber vel iustificatus redeat: nec denique si, non plus tamen quam per mensem, in novitiatu in statu amentiae permaneat. Non, inquam, hisce de causis *interrumpitur* novitiatus, sed *suspenditur*, adeoque sufficit si suppleatur tempus extra claustra aut in statu amentiae transactum.

Quod si novitius, etiam per decem menses, morbo aut infirmitate a communibus observantiis impediatur, pro eo annus novitiatus nec interrumpitur nec suspenditur[2].

Sic etiam, si, *retento habitu*, per breve tempus aufugiat, non censetur interruptus eius novitiatus, ut docent Bouix l. c. et *Thesaurus*; sed subintelligi debet quod evaserit *cum animo redeundi*.

Nota demum praefatas leges de *integritate* et *continuitate* anni novitiatus obligare, quoad *validitatem* professionis, solas Religiones formales, quae habent vota solemnia.

[1] Bouix, *De Regular.* vol. I, pag. 577.

[2] Bouix, loc. cit. *Thesaurus resolut.*, n. 108. Pro tota hac quaestione cf. Craisson a n. 2651 ad n. 2657.

34. - An tempus novitiatus possit prorogari.

Novitiatus non debet sine iusta causa prorogari; aut enim novitius meretur ad professionem admitti, et tunc est admittendus; aut eiici, et tunc dimittendus est. Si tamen Superiores de eius idoneitate dubitent, et spem probabilem habeant quod *infra sex menses* efficiatur habilis, possunt tempus eius probationis prorogare. Ita S. Pius V sua pontificia auctoritate interpretatus est decretum hac super re a Concilio Tridentino editum [1]. Imo S. Congregatio, die 22 Decembris 1730, tempus sex mensium non praefinivit, dum huic quaestioni ab Augustinianis Excalceatis propositae « utrum, absque dispensatione et periculo nullitatis, possit aliquando differri professio.... si ad prudens iudicium P. Vicarii Generalis vel PP. conventualium Capituli conventualis adsint causae graves differendi professionem » respondit: *affirmative et amplius* [2]. At, si agatur de professione solemni, haec, ex Decreto Pii IX, pro iis qui triennium votorum simplicium expleverunt, differri nequit ultra vigesimum quintum aetatis annum (§ 43); unde, si quis hanc aetatem excesserit, aut ad solemnem professionem statim admittatur, aut dimittatur.

Iuxta Constitutiones nostras, si quis ad professionem, post annum canonicae probationis, non videatur admittendus, quod forte quantum satis sit virtutis specimen ad id tempus non dederit, et spes tamen aliqua maneat, consentiente Praeposito Provinciali, cum consensu Capituli Novitiatus, professio ei differri, etiam ad

[1] Craisson, n. 2656.

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 359; II, pag. 325.

alterum annum, potest; quo finito, vel ad professionem est admittendus, vel dimittendus [1]. Verumtamen, quoad professionem solemnem, pro iis qui vigesimum quintum aetatis annum superaverint, standum est Decreto Pii IX supra citato.

35 - De novitiatus loco, et de vi decretorum Clementis VIII pro reformatione Regularium, ac receptione et educatione novitiorum.

Canonica novitiorum probatio non potest, absque speciali Apostolicae Sedis dispensatione per litteras *in forma Brevis* tantum, et non per alias, obtinenda [2], ubicumque fieri, sed tantum in locis ad id in unaquaque Religione accommodatis, et a S. Sede designatis. Ita praecepit Clemens VIII in suo decreto *Regularis disciplinae* (12 Martii 1596), in decr. *Sanctissimus* (20 Iun. 1599), in decr. *Nullus*, super reformatione Regularium (25 Iunii, seu, iuxta quosdam, Iulii 1599), ac in decr. *Cum ad regularem* super receptione et educatione novitiorum (19 Martii 1603): quae decreta innovata, confirmata ac solemniter publicata fuerunt auctoritate Urbani VIII die 26 Oct. 1624 [3].

[1] Const. l. I, c. 5.

[2] Clem, VIII, decr. *Sanctissimus*.

[3] Decr. *Regularis Disciplinae* datum est pro Italia et insulis adiac. Respicit, iuxta Bullarium Roman. Mainardi (quod undique erroribus scatet) Conventus *quorumcumque Ordinum Mendicantium;* at, iuxta Recensorem Bullarii Taurin. a Franco et Vecco editi (t. XIII, p. 205), legendum videtur: *etiam Mendicantium*. — Decr. *Sanctissimus* in cit. Bullar. Taurin. habetur t. X, p. 770, et t. XIII, p. 206. — Dec. *Nullus* refertur in *Compend.* p. 23. Citamus hic n. 33. — Decr. *Cum ad regularem* refertur quoque in *Compend.* p. 30. Citamus hic n. 29. — Decr. Urbani VIII, quod inscribitur *De Regula-*

At lex illa obligatne omnes Regulares? Sane decretum *Nullus,* sup. cit., in Collectaneis Romae editis typis R. Camerae Apostolicae anno 1720, inscribitur *Monachis et Mendicantibus;* imo, in decreto *Sanctissimus* nominatim excipiuntur ab illa lege Ordines Regulares non pauci. Respondemus:

1° Inscriptiones Constitutionum et Decretorum Summorum Pontificum in diversis collectaneis variantur arbitrio Editorum seu Recensorum, et in *Compendio* quod saepe citamus quodque solum refert approbationem S. C. sub Leone XII (26 Aug. 1826) confirmatam a Pio IX (8 Iul. 1874), illa inscriptio haud reperitur, sed tantum ista: *De reformatione Regularium.* Verba *tam Monachorum quam Mendicantium* inventa fuerunt a Cherubino et postea ab aliis Editoribus Bullarii inscienter adhibita, sed merito recensores Magni Bullarii Taurinensis (t. X, pag. 662, et XIII, pag. 211) adnotarunt decretum *Nullus* primo latum fuisse die 24 Aprilis 1593 ut decretum *particulare* pro altero ex antiquis religiosis Ordinibus, quod aperte constat ex postremis paragraphis (in *Compendio* omissis), nec non ex aliis decretis pro eodem Ordine quae illud immediate sequuntur in praefato Bullario; at annis 1599 et 1824, ut superius innuimus, publicatum fuisse cum variis additionibus, et sine paragraphis praedictum Ordinem unice respicientibus, ceu decretum *generale.*

2° Utique decretum *Sanctissimus,* de non recipiendis novitiis ad habitum et professionem nisi in locis

ribus apostatis et eiectis, habetur ibid. p. 19, et ex eo citamus hic n. 1. Decretum istud est diei 21 Sept. 1624, sed publicatum fuit una cum cit. Decretis Clem. VIII die 25 Oct. 1624. Vid. cit. Bullar. Taurin. vol XIII, p. 220.

ab Apostolica Sede designatis vel designandis, continet exceptionem in favorem nostrae aliarumque plurimarum Congregationum; quam quidem dispensationem confirmavit pro nostris Paulus V die 8 Maii 1610 et pro omnibus Regularibus Urbanus VIII in decr. *de apostatis et eiectis* die 21 Sept. 1624. Ex hodierna praxi Romanae Curiae Ordines regulares ad erigendas novas domos, etiam ad usum Novitiatus, indigent licentia Apostolicae Sedis, ut vidimus in Constitutione Leonis XIII superius allata (§ 14); si vero agatur de stabiliendo Novitiatu in domo regulari praeexistente, privilegiis sibi concessis uti poterunt.

Quoad Instituta votorum simplicium, S. C. die 4 Oct. 1861 declaravit ea non posse Novitiatus erigere nisi in locis ab ipsa designatis [1].

Quod autem, praeter legem de non recipiendis novitiis nisi in locis a S. Sede designatis vel designandis, decreta Clementis VIII super reformatione Regularium, et super receptione ac educatione novitiorum (nempe decreta *Nullus,* et *Cum ad regularem*) adhuc vigeant pro omnibus Regularibus, salvis specialibus privilegiis, ex eo constat, quod in sup. cit. decreto *de apostatis et eiectis* Urbanus VIII, non solum innovat pro omnibus Regularibus, sine exceptione, decreta illa, sed praecipit ut bis in anno legantur in publica mensa a Regularibus ubique locorum existentibus; et quod S. C. ab Innocentio XII deputata, die 24 Iunii 1624 denuo districte praecipit ut omnia et singula praedicta Clementis VIII decreta bis in anno legantur et ad unguem serventur, nulla facta exceptione (*Compend.* p. 22). Ac-

[1] *Analecta Iuris Pontificii,* t. VI, pag. 1548.

cedit S. C. in responso inferius afferendo (§ 63, n. IV) adseruisse decreta Clementina sub poena peccati mortalis obligare; quod tamen intelligendum est de iis quae illa praecipiunt, et quidem in materia gravi, non autem de iis quae instar *normae* proponere videntur, aut quae praecipiunt in materia levi.

Sed, praeter conditionem quod a S. Sede designetur, haec quoque requiruntur, ex Clementinis decretis, in loco novitiis instituendis designato:

Novitiatus ab ea parte Monasterii vel Conventus in qua degunt professi, segregatus sit oportet propria clausura, et in eo habitare non debent nisi novitii cum eorum Magistro eiusque Socio. Ad locum Novitiatus nemini debet ullo unquam tempore, sub quovis praetextu, aditus patere, praeterquam Magistro eiusque Socio, aç etiam Conventus Superiori, qui tamen debet sibi semper assumere socium ex gravioribus Collegii Patribus. Illius loci clausurae clavis semper apud Magistrum asservanda est, illique soli licet, gravi tamen de causa, alicui ingressum illuc permittere. Novitii vero neminem, nisi Magistro praesente, alloquantur. Pro necessitatibus autem quae accidere possunt, unus ex novitiis, aetate moribusque provectior, deputandus est, qui, absente Magistri Socio, omnia prout opus fuerit agat, cui etiam ianuae custodia et rerum levioris momenti provisio, intra Novitiatum, committi possunt.

Novitiis Conversis a Clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus, *si commode fieri poterit,* assignandus est; sed et illi, sicut Clerici, Magistro novitiorum obedientiam praestare debent, atque ad capitula

et spirituales collationes, quae per Magistrum novitiis fieri solent, accersiri debent.

Adsit in Novitiatu locus aptus ad spirituales collationes ac lectiones instructionesque Magistri audiendas, et in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant: oratorium insuper ad novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis ecclesiasticisque functionibus, exercendos: hortus quoque ad honestam recreationem bene conclusus; sin minus, hortum communem ingrediantur; quo tempore ne alius quisquam illuc accedat [1].

36. - De novitiorum Magistro eiusque Socio.

Ex praecitato Decreto Clementis VIII, Magister novitiorum in sacerdotali Ordine et quinto saltem supra trigesimum aetatis anno sit constitutus, atque per decennium a professione emissa perstiterit. Socius vero, *si illo opus sit,* trigesimum aetatis annum excedat.

Praeterea, Magister debet esse ordinarius novitiorum confessarius, et, iuxta nostras Constitutiones, idem esse debet ac Praepositus Collegii: at posterior Clementis VIII lex constituit Magistrum novitiorum alium esse debere a Superiore Communitatis; quam quidem munerum separationem, tam pro primo, quam pro secundo novitiatu, innuit Decretum S. C. sup. Statu Regul. de mandato Alexandri VII an. 1655 pro Congregatione nostra editum [2]. Ceterum vel ipsae Constitutiones nostrae

[1] *Compend.* a pag. 31 ad pag. 34.

[2] Bullar. n. pag. 74.

praescribunt Magistrum alium a Praeposito constituendum esse, *si Novitiatus sit in aliquo Collegio communi,* non quidem studiorum (quod vetant), sed sacri ministerii [1]. Quoad Magistrum secundi novitiatus, Regulae Officiorum illum supponunt alium a Praeposito; qua de re plura Generalia Capitula hoc decretum confirmarunt: « Magistri secundi Novitiatus, a Praeposito Generali cum sua Consultatione eligendi, distinguantur loci praerogativa post collegii Vicarium et Cancellarium Praepositi Generalis; dummodo id Magistri munus supplendi tantum causa non gerant » [2]. Quo autem modo Magister ille se gerere debeat erga Clericos studiosos et erga Praepositum ipsum, describitur in Regulis *de Magistro et disciplina eorum qui e Novitiatu educuntur* [3].

37. - De Novitiorum habitu.

Tempus canonicae probationis regulariter peragi debet in habitu Religionis quam novitius profiteri intendit, idque sub sanctione nullitatis professionis. Excipitur Societas Iesu, in qua tirocinium fieri potest in habitu laicali.

An vero habitus novitiorum differre debeat ab habitu professorum, nullibi in iure communi praescribitur; sed Constitutiones nostrae haec statuunt: « Habitus novitiorum ab habitu professorum differat *secundum*

[1] L. I, c. 4, circa finem.

[2] Synopsis an. 1895, pag. 6.

[3] Regulae Officiorum etc. pag. 36 seqq.

solitam manicarum assuendarum rationem » [1]. At de tunicane, an de superiore veste loquuntur? et quaenam est haec manicarum assuendarum ratio? Constitutiones manuscriptae anni 1552 haec habebant: « Manicae autem *tunicae* sint ab ipsa separatae, idest non simul consutae, ut distinguantur (novitii) a professis ». Sed hic quoque maior claritas desideratur. Quidquid sit, quaestio est mere historica, cum differentia inter habitum novitiorum et habitum professorum apud nos in desuetudinem abierit.

Denique animadvertere iuvat habitum religiosum, non a quocumque, sed a legitimo Superiore, vel ab eius delegato, esse imponendum; ipse enim repraesentat Religionem, quae cum novitio contrahit.

38. - An novitii nondum professi teneantur Superioribus Ordinis ex conscientia obedire.

Respondemus teneri; licet enim nondum emiserint votum obedientiae, hanc tamen, dum novitiatum inirent, ex pacto saltem tacito et implicito promiserunt Superioribus Regularibus, qui sane absque illa conditione eos minime recepissent. Praeterea, quoniam novitii societatem quamdam cum Religiosis ineunt, ut communi Superiori, saltem instar epheborum, pareant necesse est, sicut in quacumque perfecta societate requiritur. Denique, cum novitii in plerisque gaudeant privilegiis Regularium, debent subesse et oneribus, adeoque Prae-

[1] L. I, c. 2 et 3.

latis obedire; et cum ab Episcopi iurisdictione exempti sint, oportet ut subiiciantur Praelatis Regularibus, qui ideo possunt eos punire, si obedire detrectent.

39. - An novitii possint cuicumque confiteri.

Non licet novitiis cuicumque Confessario approbato confiteri, quamquam, si id faciant, eorum absolutio sit *valida*. Possunt igitur peccata sua confiteri cuicumque Ordinis sui Confessario, licet non sit ab Episcopo approbatus, modo sit approbatus a Praelato Ordinis et ad novitiorum confessiones excipiendas deputatus. Possunt insuper aliquando confiteri extraneo, si ita eorum Superiori placuerit: sed ordinarius eorum Confessarius debet esse eorum Magister. Aliquando tamen expedit eis assignare Confessarium extraordinarium. Sic Clemens VIII in toties citato decreto *Cum ad regularem,* postquam soli Magistro eorum confessiones audiendi curam commisisset, addidit: « Liceat tamen Superiori etiam locali, vel per seipsum [1], vel per alium ab eo deputatum, *semel aut bis in anno* eorumdem novitiorum confessiones audire »; et Constitutiones nostrae iam edixerant ut « *aliquando* extraordinarius Confessarius eis detur prout Magister ipse rectum iudicaverit » [2].

[1] *Per seipsum* iam non licet, saltem Romae (cf. § 89).

[2] Const. l. I, c. 4.

40. - An novitii possint pro lubito eiici, aut proprio marte abire.

Ad primum respondemus negando; non enim eiici possunt novitii absque iusta ac rationabili causa; et, si iniuste expellantur, possunt appellare ad maiores Superiores, prout declaravit Apostolica Sedes.

Ad secundum respondemus posse quidem novitios proprio marte abire, nisi aut pravo fine agant, aut detineantur voto antea emisso ingrediendi Religionem; sed, si vere vocati fuerint a Deo, caveant ne ipse in posterum eis deneget speciales gratias, sine quibus eorum aeterna salus periclitaretur. Diximus eos non posse suo marte abire, si votum amplectendae Religionis emiserint; ratio est, quia voventes Religionem non intendebant sese obligare ad simplicem religiosi habitus receptionem cum absoluta libertate illum dimittendi, sed aut volebant sese obligare ad perseverandum per votorum professionem quantum in ipsis esset, aut saltem intendebant vitam religiosam serio experiri cum animo illam profitendi si ea sibi conveniret, deserendi si non conveniret. Iamvero, si eorum mens fuerat sese obligare ad perseverandum, nequeunt incepto desistere nisi ob aliquam ex illis *gravibus causis* quae eximunt ab obligatione votorum in genere, v. gr. si prudenter timeant professionem religiosam sibi fore occasionem spiritualis ruinae, eo quod habeant naturam ita religiosae vitae contrariam ut, etiam seria adhibita diligentia, non valeant se illi conformare; vel si inter votum profitendi Religionem eiusque executionem talis immutatio vel ex parte sui,

vel ex parte Religionis acciderit, ut non amplius idem sit quod promiserant et quod executioni mandandum esset. Quod si vovendo ingressum in Religionem volebant vitam illam serio experiri, nequeunt discedere nisi *ex rationabili causa*, puta si vitam religiosam longe laboriosiorem ac molestiorem inveniant quam existimabant; adeoque probabiliter praevideant se nunquam in eo statu cum quiete et hilaritate animi permansuros, sed potius perpetuis agitationibus molestiisque fore subiectos, quibus sese adstringere, dum voverant Religionem, sane nolebant.

41. - An novitii dimissio eum liberet a voto ingrediendi Religionem.

Huic quaestioni respondemus distinguendo; aut enim novitius emiserat votum ingrediendi *illam* Religionem *in individuo*, et tunc liberatur a voto, nisi forte consulto ita se gesserit ut eiicieretur; quo in casu id manifestare tenetur simulque obligationem voto susceptam, atque Superiores precari ut eum retineant, petendo poenitentiam, et emendationem promittendo: aut emiserat votum ingrediendi *aliquam* Religionem *in genere*, et tunc probabiliter non statim liberatur a voto, sed tenetur mediocrem saltem diligentiam adhibere ut in alia Religione recipiatur, nisi illi evidenter constet se ad nullam vocari nullique esse aptum; non tenetur tamen Religionem quaerere extra propriam nationem aut in longinquis suae nationis provinciis, nec experiri aliquam ex austerioribus Religionibus quae specialem requirunt vocationem, v. gr. Cappuccinorum,

Camaldulensium, Carthusianorum etc.; nisi eius intentio, dum voveret, fuisset altissimam perfectionem prosequi et rigidissimum vivendi genus amplecti.

Sed quid, si novitius dimittatur ob inhabilitatem *vincibilem?* teneturne operam dare ut habilis fiat et denuo petere ingressum in Religionem, ut voto emisso faciat satis? Tenetur probabilius, si inhabilitas sit *facile vincibilis;* sed si vinci nequeat nisi cum magna difficultate et longo tempore, non videtur teneri.

42. - De novitiorum privilegiis deque eorum educatione.

Novitii gaudent privilegio fori et canonis; gaudent quoque indulgentiis Ordini concessis [1], et speciatim indulgentia plenaria, praemissa sacramentali confessione et communione, in diebus solemnis vestitionis [2] et professionis [3]. Id ex iure communi pro Religionibus formalibus.

Relate ad novitiorum institutionem, praeter ea quae a legibus nostris praescribuntur, haec ex decreto Clementis VIII [4] excerpsisse iuvabit:

« Curam adhibeat diligentem (Magister) ut novitii in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque divinae vocationis excellentiam; quae vera sit, perfecta et necessaria votorum et sui Ordinis constitutionum

[1] Ferraris, voce: *Novitiatus,* n. 20.

[2] Ita Bouix, *De Reg.* t. I. p. IV, c. IX, q. I.

[3] Breve Sixti V, 7 Ian. 1586 hanc indulgentiam pro die professionis nobis confirmat. Bullar. n. pag. 57.

[4] Cf. *Compend.* pag. 30 seq.

observantia; nec non modum in oratione tum vocali tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones et vitia cohibendi per sensuum custodiam et mortificationem, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, Confessionis praesertim bis saltem singulis mensibus peragendae, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis et tentationum [1], per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnumque silentium ».

« Quilibet novitius bis quotidie orationi mentali et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem et ordinem a Magistro sibi praescriptum, ac pluries in die propriam conscientiam examinare contendat ».

« Quotidie Missae sacrificio intersint, et statutis horis in choro nocturnis diurnisque officiis assistant ».

« Exercitationibus etiam corporalibus vacent; legant vel scribant res spirituales; modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco et commodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur; fiatque semper Magistro praesente vel Socio, qui multum invigilent ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore cuiusque in quam natura feratur propensionem inscrutentur ».

« Non liceat eis, durante novitiatu, una cum professis, nisi in choro, in ecclesia, aut in coenaculo causa

[1] Haec *aperitio motuum internorum cordis et tentationum* non amplius exigi potest a Superiorissis Monialium, nec a Superioribus laicis Institutorum laicorum (Cf. § 102).

refectionis, commorari; nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari ».

« Tempore probationis elapso, ii tantum ad professionem admittantur qui, non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti novo examine experti fuerint. Qui vero ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint ».

CAPUT VI

DE PROFESSIONE

SUMMARIUM. — 43. Quid et quotuplex sit. — 44. De requisitis ad professionis validitatem. — 45. De professionis invaliditate vel reparanda, vel reclamanda. — 46. De requisitis ad professionis liceitatem. — 47. De natura et effectibus votorum simplicium vota solemnia praecedentium. — 48. De cessione administrationis, ususfructus et usus propriorum bonorum, quae praemitti debet professioni votorum simplicium. — 49. De renunciatione quae praecedere debet aut necessario consequitur professionem solemnem. — 50. De solemnis professionis effectibus. — 51. De loco ubi neo-professi manere debent, ac de eorum disciplina. — 52. Acta apud nos perficienda pro admissione novitii ad professionem votorum simplicium extra Italiam. — 53. Acta perficienda pro eadem professione votorum simplicium in Provinciis Italiae. — 54. Acta perficienda ante professionem solemnem.

43. - Quid et quotuplex sit.

Professio consistit in traditione sui ipsius ad Dei servitium per vota Religionis. Vocari solet *simplex* vel *solemnis*, prout simplicia vel solemnia sunt quae emittuntur vota. In quonam autem vota solemnia a simplicibus differant superius explicavimus (§ 6).

Iamvero, ex decreto *Neminem latet* die 19 Martii 1857 a Pio IX edito, professio solemnis non amplius viris permittitur nisi post triennium votorum simplicium; vel post longius tempus, si id pro aliqua Sodalitate constitutum sit. Potest vero Superior Generalis, vel Provincialis, iustis et rationabilibus de causis, professionem solemnem, post triennium votorum simplicium, alicui differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Idem porro Summus Pon-

tifex *nullam* et *irritam* declaravit professionem solemnem Religiosorum qui prius non emiserint vota simplicia, in iisque per triennium permanserint[1].

Qui forte habitum Religionis induerint maiores iam viginti quinque annorum, aut huic aetati proximi, nequeunt, post expletum annum novitiatus, ad professionem votorum solemnium admitti, sed debent, sicut ceteri, permanere in triennio votorum simplicium[2].

« Abbas Ordinis N. Americae septemtrionalis regionis sequentia dubia S. Congregationi super statu Regularium exposuit:

« I. Quod adhuc dubitatur utrum in casu quo Sacerdos saecularis habitum petivit et obtinuit, qui annum vigesimum quintum longe transgressus sit, huic *professio solemnis differri possit supra consuetum triennium,* si scilicet intra triennium non sufficientia argumenta de sua vocatione dederit.

« II. Et si post unum alterumve annum adhuc tum dubius vel suspectus existat... utrum deinde statim dimittendus sit, vel *cum votis simplicibus retineri possit* in Ordine, ut timor expulsionis eum cautiorem reddat, et ne in saeculo penitus labatur, et quia, si bene se gerat, Monasterio, v. gr. eruditione sua, valde utilis esse possit ». S. Congregatio, die 19 Augusti 1866 respondit:

« Ad I. *Negative.* Ad II. Recurrendum in singulis casibus »[3].

Professio dividitur insuper in *expressam* vel *tacitam;* illa fit aut scripto, aut voce, aut saltem nutibus;

[1] Const. *Ad universalis Ecclesiae regimen,* 7 Febr. 1862.

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 909; II, pag. 858.

[3] *Acta S. Sedis,* vol. II, pag. 160 seqq.

ista per actus professis proprios. Sic, qui professionem emiserit irritam ob aliquem ex defectibus inferius describendis (§ 44), et tamen non reclamet, imo per aliquot annos in Monasterio seu Conventu remaneat in ordine et habitu professorum, eorum utens iuribus, considerari poterit ut *tacite* professus. Attamen 1° Sacra Congregatio pluries declaravit professionem nullam minime convalidari per votorum renovationem quotannis in quibusdam Institutis ex praescripto regulae a Sancta Sede approbatae fieri solitam, quia eo ipso quod talis renovatio ex praescripto regulae fit, non habetur ut plene libera; 2° professio *tacita* omnino abrogata fuit ex decreto Pii IX [1] pro viris qui, post triennium votorum simplicium, emittunt professionem *solemnem;* haec enim debet esse *expressa,* nec amplius potest esse *tacita.*

44. - De requisitis ad professionis validitatem.

Ad validitatem professionis sive simplicis sive solemnis requiritur ut novitius sit sui compos (§ 25) et liber (§ 26); ut absit, tam ex parte profitentis quam ex parte Religionis acceptantis, fraus, dolus, violentia et metus gravis [2]; ut Religio sit approbata ab Ecclesia; ut professio accipiatur ab habente potestatem, nempe, pro viris, a Superioribus Ordinis, nisi ex speciali iure in aliquo Sodalitio non exempto haec potestas Ordi-

[1] S. Congr. sup. Stat. Reg. 19 Iun. 1858, n. XI.

[2] Qui mulierem cogunt ad ingrediendum Monasterium, ad suscipiendum habitum, ad professionem emittendam, a Concilio Tridentino anathemate plectuntur. Casus quosdam exceptos vide apud De Angelis t. III, tit. XXXI, n. 9, pag. 101.

nario loci tribuatur; ut profitens habeat profitendi intentionem; ut habeat aetatem canonicam (§ 24); denique, ut annum canonicae probationis expleverit (§ 33). Insuper, ad validitatem professionis solemnis requiritur, pro viris, ut haec sit *expressa,* nec emittatur nisi post expletum votorum simplicium triennium (§ 43).

Iamvero metus gravis, de quo supra, ille est qui graviter influit in actum, v. gr. metus per reclusionem, vel per alimentorum subtractionem, per verbera, per truces minas etc. incussus. Ipse metus *reverentialis,* non quidem solus, sed concurrente precum, blanditiarum, imperii repetita saepius importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, additis etiam minis de subsidiis denegandis si novitius a Religione egrediatur; talis, inquam, metus praesertim si illa adiuncta vel saltem ex illis plura simul concurrant, potest in animo rudi ac timido esse *gravis,* adeoque professionem irritare. Ita communiter theologi post S. Alphonsum M. de Ligorio.

45. - De professionis invaliditate vel reparanda, vel reclamanda.

Nulliter professus potest, remoto impedimento, professionem *revalidare* expresse vel tacite; *expresse,* coram Superiore, si causa nullitatis nota fuerit, et absque Superiore, si occulta; *tacite,* habitum professorum deferendo et actus eis proprios exercendo cum intentione ut revera efficiatur professus [1]. Verumtamen Auctor

[1] Licet hic agatur tantum de *revalidatione* professionis alias *expresse.* quamvis nulliter, emissae, iuvat tamen repetere professionem solemnem virorum esse debere *expressam* (Cf. §§ 43 et 47).

adnotationum ad *Acta S. Sedis* (vol. V, pag. 412) opinatur professionem in suo initio nullam haud posse convalescere per subsequentes actus emissos, non solum infra quinquennium, sed etiam post quinquennium; idque colligit ex praxi Romanae Curiae in huiusmodi causis iudicandis; quippe nunquam ponitur dubitandi formula: *an professio, initio nulla, fuerit convalidata per subsequentes actus;* sed disputatur tantum: *an concedenda sit restitutio in integrum ob lapsum quinquennium;* et ad hanc restitutionem concedendam, praesertim post Constitutionem Benedicti XIV *Si datam,* in examen revocatur causa nullitatis professionis; dum, si professio revalidari posset per subsequentes actus, in examen praeterea revocandi omnino essent actus ob quos dici forte posset revalidata professio. Addit dici fortasse posse professionem revalidari per subsequentes actus, quando fuit nulla ex occulta causa, ut in matrimonio. Ceterum facile ac omnino tutius est recurrere ad Apostolicam Sedem, quae vel in via ordinaria, dispensato impedimento iuris ecclesiastici, praescribit saltem privatam consensus renovationem; vel, concurrentibus specialibus circumstantiis, sanat professionem *in radice*, quando consensus voventis moraliter perseverat, et impedimentum iuris ecclesiastici tollit.

Alteram nunc quaestionem aggredimur. Nulliter professus potest *reclamare* contra suam professionem, eius nempe invocare nullitatem, ut suam recuperet libertatem, his tamen conditionibus a Concilio Tridentino definitis [1]: « Quicumque Regularis praetendat se per vim et metum ingressum in Religionem, aut etiam

[1] Sess. 25, c. 19 *de Regul.*

dicat ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, *non audiatur nisi infra quinquennium tantum a die professionis,* et tunc non aliter *nisi causas quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo, et Ordinario.* Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur, interim vero nullo privilegio suae Religionis iuvetur ». Potest tamen ille sine habitu religioso discedere a suo Conventu ut adeat Superiorem maiorem aut Ordinarium loci, si Superior immediatus illi deneget licentiam eos in habitu religioso adeundi, ad defendendam causam nullitatis.

Si Superior regularis et Ordinarius a se invicem in illa causa dissentiant, causa devolvenda est ad Apostolicam Sedem, seu ad S. C. Concilii.

Pro Monialibus autem non exemptis causae nullitatis a solo Ordinario dignoscendae sunt: pro exemptis vero, coniunctim ab Ordinario et a Praelato Regulari, cui forte subduntur; quod si isti non sint concordes, lis a S. Sede dirimenda erit.

Etiam elapso a die professionis quinquennio, haberi potest, in via extraordinaria, recursus ad S. Sedem, saltem pro invocanda nullitate votorum simplicium. Porro « ut Regularis validitatem suae professionis impugnans audiatur, post elapsum quinquennium, beneficium extraordinarium *restitutionis in integrum* a S. Sede obtinere debet, quo ad impugnandam professionem *habilis* reddatur. Hoc autem beneficium conceditur si, causis nullitatis professionis inspectis, appareat iniquam

fuisse conditionem eius qui professus est. In eiusmodi tamen causis, quas S. Sedes in prima instantia iudicandas sibi assumit, uno eodemque iudicio cognoscitur tum de causa restitutionis in integrum, tum de validitate professionis. Causa de nullitate professionis discussa, si *dubium* de eius validitate adhuc supersit, ipsum dubium invocari poterit ad obtinendam Apostolicam dispensationem » [1].

An vero qui sibi conscius est nullitatis suae professionis, quamvis illam probare nequeat, possit ad saeculum redire et matrimonium contrahere, certum non est; sicut etiam controvertitur an professio nulla valeat ut votum simplex quoad obligationem servandi castitatem, excepta hypothesi quod sit nulla ex defectu consensus, quia tunc omnes conveniunt ipsam nec valorem quidem simplicis voti castitatis habere, licet taliter professus, si consensus defectum probare non valeat, cogi possit ad manendum in Monasterio.

« Quaeritur inter Doctores, ait cl. De Angelis [2], an qui professionem invalidam edidit teneatur illam ratam habere, etiamsi impedimentum ad invaliditatem in foro externo probari nequeat, et provenerit quoque ex culpa invalide profitentis? Et respondent... non teneri propter arduitatem et sublimitatem status religiosi, quamvis propter praesumptionem fori externi possit cogi ad illa observanda ad quae verus Religiosus obligatur.

« Instantiam (contra validitatem) proponere valent non modo Professi, sed etiam Religio in sui favorem. Quinam vero ordo servandus sit in istis causis pertractandis clare determinat Benedictus XIV Const. *Si da-*

[1] *Acta S. Sedis,* vol. V, pag. 412.

[2] T. II, p. II, seu vol. VI, pag. 115.

tam, diei 4 Martii 1748 ». Haec praesertim adnotabimus: *impugnator* afferat probationes nullitatis; *defensor* ab Episcopo constitutus faciat *interrogatoria.* Pro his, sicut et pro probationibus, advocentur testes. Citentur quoque defensores Monasterii, propinqui actoris, cessionarii bonorum ipsius, et, in genere, omnes quorum interest ut professio sit valida, ii praesertim qui forte indicati fuerint ut causae incussi timoris aut adhibitae violentiae.

Si sententia tribunalis validitatem proclamat, causa finita est; si nullitatem, defensor tenetur appellare ad iudicem cui ex iure devolvuntur ceterae causae post Episcopi sententiam.

Novo Iudici novus Superior associandus est ex loco ubi sedet tribunal, vel ex eadem Dioecesi, vel, si Ordo nullam ibi domum habeat, ex loco propinquiori.

Impugnator nequit Religionem deserere, nisi post binas sententias sibi faventes.

46. - De requisitis ad professionis liceitatem.

Ad professionis *liceitatem* requiritur, ante omnia, ut absint impedimenta professionem *irritantia* (§ 44); oportet, insuper, ut absint impedimenta quae illicitam reddunt novitiorum receptionem seu admissionem ad habitum (§ 22 seqq.), nisi legitima intercesserit dispensatio; oportet, denique, ut in caeremoniis professionis, sicut et vestitionis, adhibeantur libri ab ecclesiastica auctoritate, saltem Ordinarii, approbati [1].

At in Italia, qui primae militum classi *(prima cate-*

[1] S. R. C. 12 Sept. 1857, ad 18.

goria) inscribuntur, nec possunt certiores fieri se esse reformandos, nempe declarandos ineptos ad inserviendum militiae, nequeunt ad solemnem professionem aut ad Ordines sacros admitti, nisi post completum tempus ordinariae militiae vel postquam inepti fuerint declarati, ut decrevit S. Congregatio super Disciplina Regulari die 27 Novembris 1892 [1].

47. - De natura et effectibus votorum simplicium vota solemnia praecedentium.

Iuvat in primis hic referre insequentes Declarationes S. Congregationis super statu Regularium circa suum decretum diei 19 Martii 1857 (§ 43), quae prodierunt die 12 Iunii 1858 pro Ordine Carmelitarum Discalceatorum:

« I. Vota simplicia, de quibus agitur, *perpetua erunt ex parte voventis,* utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient ».

« II. Eorumdem votorum simplicium *dispensatio* reservata est Romano Pontifici, cui professi, gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt ».

« III. Verum eadem simplicia vota *solvi* etiam poterunt ex parte Ordinis *in actu dimissionis* professorum; ita ut, data dimissione professi *ab omni* dictorum votorum vinculo et obligatione *eo ipso* liberi fiant ».

« IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Praepositum Generalem Ordinis cum suo Definitorio generali. Poterit in casibus extraordinariis idem Praepositus Gene-

[1] De examine Sanctimonialium, quod praescribitur pro earum professione, sicut pro vestitione, diximus in fine § 31.

ralis cum suo generali Definitorio, et praesertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare probos ac prudentes Religiosos, qui saltem tres esse debeant ».

« V. Licet ad decernendam dimissionem, neque processus, neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent cum summa charitate, prudentia et ex iustis ac rationabilibus causis, quacumque humana ratione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causis infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit » [1].

« VI. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato suo Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent ».

« VII. Superiores regulares ad quos spectat concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam Tonsuram et ad Ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt ».

« VIII. Anni professionis qui in dicto Ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simpli-

[1] Ex Secretaria S. C. EE. et RR. nobis declaratum fuit nec licere dimittere Clericos simplicia vota professos eo quod videantur studiis inepti, vel nimia ignorantia laborent. Generatim nemo dimitti potest post professionem votorum simplicium nisi ob gravem culpam vel ob graves defectus ex ordine morali. Cf. § 56.

cium suffragium habeant in Actis Capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi ».

« IX. Professi votorum simplicium dominium *radicale,* uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum lubito existimaverint ».

« X. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii et Studiorum, et vitam communem perfectam observare ».

« XI. Ad *valide* emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio *expressa;* et ideo professio *tacita* omnino abrogata est » [1].

Aliae praeterea emanarunt a S. Sede declarationes ulteriores, et sunt tenoris sequentis:

Professi votorum simplicium, nisi sint *in sacris*, non tenentur ad *privatam* recitationem divini officii; debent tamen, ubi viget obligatio chori, *choro interesse* sicut solemniter professi.

Tenentur ad observantiam regulae Ordinis, prout solemniter professi, firma declaratione iam data superius, (n. IX) quoad votum paupertatis [2].

Pius IX statuit atque constituit, ut, contrariis quibuscumque non obstantibus [3], professi votorum sim-

[1] *Compend.* pag. 80. — *Collectan.* ed. I, pag. 906; II. p. 855.

[2] S. C. 6 Aug. 1858.

[3] Scilicet, non obstante Constit. Clem. VIII, qua decernitur professionem solemnem emittendam esse in ecclesia Collegii Novitiatus.

plicium licite et libere professionem votorum solemnium emittere possint in Conventu seu Domo in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin teneantur profiteri in Domo peracti novitiatus [1].

Professi votorum simplicium nequeunt, ante professionem solemnem, ad Ordines sacros *titulo paupertatis* promoveri, si quidem ex speciali gratia Apostolicae Sedis ad eos admittantur; neque valent Provinciales, quoad eosdem sacros Ordines, cum illis dispensare a defectu natalium, licet id valeant pro prima tonsura et Ordinibus minoribus, quatenus ex Apostolico indulto facultate dispensandi super dicta irregularitate gaudeant [2].

Si professi vota simplicia ad tonsuram et Ordines minores admittantur, ac postea ab Ordine dimittantur, aut a S. Sede a vinculo votorum dispensentur, eorum Episcopus cum illis se geret sicut cum ceteris suis dioecesanis se gerere debet [3]; adeoque, si recipi petant in Clerum saecularem, recipiantur, nisi aliquid iudicio Episcopi obstet, quamquam titulo sustentationis careant; sed curandum erit ut quamprimum fieri poterit de praescripto titulo provideantur; minime vero ad Ordines sacros promovendi erunt, nisi praescriptum titulum habeant [4].

Cum, ex iure, coniugi ante matrimonii consummationem petenti tempus ad deliberandum an velit monasticam vitam amplecti, concedatur bimestre, alterque coniux teneatur expectare donec ille monasticam vitam amplexus votorum professionem emittat, quin

[1] 9 Dec. 1859.

[2] S. C. 20 Ian. 1860 - *Collectan.* ed. I, pag. 909; II, pag. 858.

[3] Ib. ed. I, pag. 909; II, pag. 859.

[4] Ib. ed. I, pag. 910; II, pag. 860.

antea ad alias nuptias convolare valeat; quaeritur num iste coniux in saeculo manens, nedum bimestre ad deliberandum concessum et annum probationis professioni praemittendum, sed et triennium saltem post emissa simplicia vota, nempe usque ad peractam ab altero coniuge professionem solemnem, expectare teneatur. Responsum fuit auctoritate Pii IX nonnisi per *solemnem* votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi, non vero per professionem votorum simplicium; adeoque in casu quo vir, iuxta legem diei 19 Martii 1857 per S. C. super Statu Regularium latam, vota simplicia emittere debeat ante solemnem professionem, sive ipse sive eius coniux recurrere poterit ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate ut statim emitti possint vota solemnia [1].

Professi votorum simplicium in Religionibus formalibus non habent ius suffragii in Capitulis in quibus agitur de admittendo aliquo sodali ad vota solemnia [2]; nec possunt esse Praelati (exceptis professis Societatis Iesu, qui possunt esse Rectores minorum Collegiorum); imo, quoad nostros, in Appendice ad Constitutiones decernitur ut in Capitulo quidem locali utramque vocem activam nempe et passivam, sed in Provinciali nonnisi activam habeant; unde possunt esse Socii Praepositorum localium in Capitulo Provinciali, minime vero Socii Praepositi Provincialis in Capitulo Generali. Item, apud nos, nemo, absque Capituli Generalis dispensatione, etiamsi solemnia vota nuncupaverit, potest sive activa sive passiva voce gaudere, nisi completo *qua-*

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 910; II, pag. 859.

[2] S. C. 7 Febr. 1862. *Collectan.* ed. I, pag. 911; II, pag. 861.

triennio [1] a professione votorum simplicium, et nisi sit Sacerdos, nec amplius inter Sacrae Theologiae Auditores adnumeretur [2].

Reiectio professi votorum simplicium a Capitulo locali non est pro Praeposito Generali eiusque Consultatione sufficiens motivum illum absque alia inquisitione aut informatione dimittendi. Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium, audiri quidem debet Capitulum locale ad instructionem animi Superiorum, minime vero a Superiore Generali vel ab eius subdelegato standum erit relationi eiusdem Capituli. Quod si aliquando habeantur legitimae causae ad dimittendos professos votorum simplicium, hoc in casu servanda erunt quae in articulis IV et V Declarationum praescripta sunt [3].

Per professionem votorum simplicium praecedentia vota cum statu religioso *compatibilia* non extinguuntur, nisi ita velit profitens, aut nisi a Praelato Regulari post professionem irritentur; obligatio vero votorum quae cum religioso statu *incompatibilia* sunt, *suspenditur* dum professus in Religione perseverat, *reviviscit,* si ab illa egrediatur.

Denique, professio votorum simplicium liberat *minorem* a patria potestate, iuxta ius canonicum, non tamen iuxta ius civile modernum; unde graviter peccant parentes qui, favore civilis auctoritatis, filios iam professos suis Conventibus subtrahunt [4].

[1] Vel *triennio,* si, ex concessione Capituli Generalis, intercedat dispensatio Praepositi Generalis eiusque Consultationis.

[2] Const. l. IV, c. I. — Synops. Decr. ad hoc caput referend.

[3] S. C. 7 Febr. 1862 - *Collect.* ed. I, pag. 911; II, pag. 861.

[4] Circa *dispensationem* a votis simplicibus recole quae diximus § 6.

48. - De cessione administrationis, usufructus et usus propriorum bonorum, quae praemitti debet professioni votorum simplicium.

Iuxta Declarationem IX superius relatam (§ 47), ante professionem votorum simplicium novitii cedere debent quibus eis placuerit administrationem, usumfructum et usum bonorum, quorum retinent radicale dominium. Id in Appendice ad librum primum nostrarum Constitutionum his verbis declaratur: « Voti paupertatis quod in hac professione emittitur ea vis est, ut professus legitimum quidem dominium aliaque id genus iura in rebus sive mobilibus sive immobilibus retinere ac etiam acquirere possit; sed ei tamen omnino interdicta esse intelligatur bonorum eorumdem administratio, et redituum erogatio, atque usus. Hinc, antequam vota profiteatur, cedere debebit rerum suarum omnium administrationem et usum quibus volet, aut etiam, si placeat, Congregationi. Post professionem vero, neque dispositionem iam factam immutet (sive haec bonorum administrationem atque usum, sive bona ipsa respiciat), neque quippiam legato, donatione vel quavis alia hominis vel iuris dispositione acquirat, de eoque quomodocumque disponat, sine consensu Praepositi Generalis ».

Praefata cessio supponit novitium aetate *maiorem* vel legitime *emancipatum*, quia bona *minorum* a tutoribus seu curatoribus administrantur. Expedit autem ut haec cessio scripto et legalibus formis fiat, saltem si agatur de bonis haud parvipendendis, et timendae sint contentiones.

49. - De renunciatione quae praecedere debet aut necessario consequitur professionem solemnem.

Per votum *solemne* paupertatis Religiosus renunciat omni rerum dominio sive praesenti sive futuro: potest tamen, ante solemnem professionem, bonis suis renunciare in favorem cuiuslibet. At, ad tuendam professionis libertatem, Concilium Tridentinum (Sess. 25, *De Regul.* c. 16) renunciationem illam nullam irritamque declarat, si fiat ante duos menses qui proxime praecedunt professionem ipsam solemnem [1]; idque etiamsi *iurata* fuerit, et in favorem causae piae.

Haec tamen prohibitio intelligenda est de renunciatione qua bona novitii notabiliter minuerentur, minime vero de parvula donatione [2]; praeterea, talis prohibitio non comprehendit actus alienationis factos quidem in loco novitiatus, sed ante inceptum tirocinium, idest ante formaliter susceptum habitum Religionis; neque comprehendit actus *revocabiles*, prout sunt testamenta; neque tandem dispositiones factas ante ingressum in Religionem *intuitu ipsius ingressus*, quae tamen non sortiuntur suum effectum nisi professione sequuta [3].

Quod autem de renunciatione bonis saecularibus diximus, intelligi quoque debet de renunciatione beneficiis ecclesiasticis.

Inter modos renunciandi suis bonis ac iuribus computatur etiam testamentum; unde testamentum quo

[1] Cfr. Decr. Pii IX, 1 Aug. 1862.

[2] Schmalzgrueber cit. a Bouix et Craisson.

[3] *Acta S. Sedis*, vol. XII, pag. 528.

Monialis quaedam, simplicia vota professa, libere de paterna haereditate disposuerat, S. Congregatio EE. et RR. licitum validumque declaravit [1]. Testamentum ante professionem solemnem revocari potest; post professionem vero non modo nequit novum testamentum condi, sed nec potest, absque venia S. Sedis, mutatio induci in testamento ante professionem condito, quia mutatio illa importaret novam dispositionem, adeoque novum testamentum. Secus dicendum, si sermo sit de interpretatione verbi dubii, aut dubiae dispositionis; namque id fieri posse a Religioso professo indubii iuris est, cum illa explicatio non importet novam dispositionem. Haec non applicantur novitiis, qui et ante inceptum tirocinium et in ipso novitiatus tempore possunt facere testamentum, illudque mutare. Nec obstat citatum decretum Tridentinum; nam hoc respicit dispositiones inter vivos de se illico validas, non autem testamenta, quae sunt ex sui natura revocabilia.

Porro si novitius instituat alium haeredem quam Monasterium in quo novitiatum egit, haeres non statim acquirit haereditatem post testamentum confectum, nam saltem est necessarium quod sequatur professio. Si enim ante professionem moriatur haeres institutus, tunc testamentum viribus caret, et per professionem omnia novitii bona transferuntur ad Monasterium, si Religio est possessionis capax, nec novitius aliud testamentum vel aliam suis bonis renunciationem fecit ante professionem [2].

Admittimus cum gravibus Auctoribus [3] renuncia-

[1] 18 Febr. 1853. - *Collectan.* ed. I, pag. 673; II, pag. 620.

[2] Cf. De Angelis, tom. II, part. I, pag. 395 seq.

[3] Bouix, *de Reg.* vol. I, pag. 585, qui citat Schmalzgrueber et Ferraris.

tionem factam post expletum decimum tirocinii mensem ab iis qui statim post illud possent vota solemnia profiteri (ut sunt moniales), et intra duos posteriores menses triennii votorum simplicium ab aliis, valere etiam si professio solemnis, ob infirmitatem aliave de causa, aliquantulum protrahatur: verum, si longior evaderet dilatio, existimamus renunciationem fore renovandam iuxta litteram Tridentini decreti.

Licentia Episcopi aut eius Vicarii Generalis, a Concilio Tridentino ad valorem renunciationis requisita, dari potest a Praelato Regulari iurisdictionem quasi episcopalem habente, nec requiritur ut sit scripta [1].

Potest novitius, non obstante renunciatione ac donatione rite peracta, testari et de bonis suis prout voluerit mortis causa disponere; et si ante professionem intestatus moriatur, pertinent bona haec ad ipsius haeredes ab intestato [2]; nam renunciatio non habet effectum nisi secuta professione. Hac vero secuta, renunciatio fit irrevocabilis, etiam in casu saecularizationis.

« Generatim renunciatio bonorum sive in genere sive in specie ante professionem solemnem facta, non praesumitur, sed probari luculenter debet. Renunciatione autem bonorum non facta, bona Religiosi professi ipso iure Monasterio cedunt, si Monasterium ius possidendi habeat. Idem verum est, sive agatur de bonis actu ad professum pertinentibus, sive de bonis adventitiis, vel in spe positis » [3]. Nam « dona omnia quae Religiosis solemniter professis fiunt, eo ipso acquiruntur

[1] Ferraris, voc. *Novitiatus;* Schmalzgrueber, in tit. *de Regul.* n. 104 Bouix, l. c. pag. 187.

[2] Bouix, l. c. pag. 187.

[3] *Acta S. Sedis*, vol. VI, pag. 404.

Monasterio, non exceptis legatis et haereditatibus » [1]. « Ratio est quia votum solemne paupertatis non tollit potestatem acquirendi, sed tantum *quidquam ut proprium possidendi;* hinc ille aphorismus iuris: *Quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit* » [2] nisi Monasterium sit possidendi incapax.

Ceterum Professus, qui bonis suis renunciavit in favorem sui Ordinis, potest, de Superiorum consensu et tantum coram lege et auctoritate civili, eorum legale dominium et administrationem retinere in utilitatem Religionis et sub omnimoda a Superioribus dependentia.

50. - De solemnis professionis effectibus.

Qui in statu gratiae professionem solemnem emittit, consequitur remissionem omnium peccatorum quoad culpam et poenam; nec tantum, quoad poenam, ob indulgentiam plenariam a Paulo V concessam [3], sed et propter perfectionem charitatis, quam includit ipse professionis actus [4].

Item, per solemnem professionem extinguuntur omnia praecedentia vota cum statu religioso incompatibilia; quae autem sunt cum illo compatibilia extinguuntur, si ita velit profitens, secus per se probabiliter non extinguuntur, sed possunt a Praelato post professionem irritari.

Praeterea, solemnis professio aufert irregularitatem provenientem ex defectu natalium, sed tantum ad su-

[1] Bucceroni, *Theol. Mor.* vol. II, n. 281.
[2] De Angelis l. c.
[3] 23 Maii 1606.
[4] S. Th. 2. 2. q. 189, art. 3, ad 3.

scipiendos Ordines sacros et ad officia ac dignitates Ordinis (§ 23), non autem ad dignitates ecclesiasticas extra Congregationem obtinendas.

Dirimit, insuper, matrimonium subsequens, imo irritat etiam matrimonium praecedens, si ratum et non consummatum sit.

Liberat quoque, sicut ipsa professio simplex (§ 47), minorem a patria potestate in iis quae professum gravant, non autem in iis quae sunt illi favorabilia; unde iura suitatis et successionis retinet professus, etsi non sibi sed Monasterio acquirat.

Aufert notam ingratitudinis, ita ut professus legitima nequeat haereditate a patre expoliari.

Abluit, attento iure christiano, omnem praeteritae vitae maculam quantum ad consequendos effectus civiles, imo delet et promeritam poenam.

Denique, ligat professum Religioni, et hanc professo, vinculo quod dissolvi nequit nisi per iustam expulsionem, aut per S. Sedis indultum.

Reliquos effectus professionis solemnis vel iam superius exposuimus (§ 6), vel inferius exponemus cum sermo erit de obligatione votorum Religionis (§ 61 seqq.).

51. - De loco ubi neo-professi manere debent, ac de eorum disciplina,

Iuxta Constitutiones nostras « in Novitiatu quilibet maneat anno post professionem, et praeterea etiam quamdiu Praepositus Generalis arbitretur » [1].

Nec obstaret subsequens decretum Clementis VIII

[1] L. I, c. 4, in fine.

praescribens quod « Novitii... statim post professionem emissam in Professorio collocentur »; subiungit enim: « vel in eodem Conventu, si commode ali queant, in loco tamen segregato a Novitiatu, vel in alio Monasterio in quo is locus cum requisitis ad Novitiatum... reperiatur »; et iterum: « Ab hoc tamen (nempe ab obligatione mittendi neo-professos ad Professorium) illae Religiones excipiuntur, quae suarum Constitutionum vigore maioris temporis cursu novos professos intra Novitiatum detinent; quibus Constitutionibus non obstantibus permittitur ut, si magis expedire iudicaverint, Professorii loca habeant » [1]: at ulterius S. Congregatio sub Alexandro VII haec pro nobis constituit: « Novitii, statim post professionem emissam, transferantur in aliud Collegium ex designatis pro secundo Novitiatu, ubi is locus, cum requisitis ad Novitiatum ipsum praescriptis, reperiatur vel accommodetur... ibique permaneant saltem per triennium post professionem » [2]. Cui quidem praescriptioni consonat Declaratio IX auctoritate Pii IX edita, ac supra relata (§ 47).

De his vero *Professoriis*, seu Collegiis *secundi Novitiatus*, Clemens VIII, loco citato, n. 28, haec statuit: « In iis autem novi professi degant sub regulis et modo vivendi arctiori quam antiquiores professi; ita ut neque Monasteriorum negotiis se intromittere, neque communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant; ibique permaneant usque ad aetatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem, vel saltem per triennium post professionem; quo tempore litterarum studiis opera ab ipsis

[1] Decret. 19 Mart. 1603, nn. 27 et 28. — *Compend.* pag. 35.

[2] 20 Maii 1655. — Bullar. n. pag. 74.

navanda erit, sub directione ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat quibus novitiorum Magistrum praeditum esse oportet ».

52. - Acta apud nos perficienda pro admissione novitii ad professionem votorum simplicium extra Italiam.

I. Anno a suscepto solemniter habitu fere elapso, Capitulum Collegii Novitiatus deliberet an novitius ad professionem votorum simplicium admitti mereatur.

II. Interim novitius per quindecim aut viginti dies sacris exercitationibus vacet [1]; *protestationi* circa impedimenta denuo subscribat [2], itemque *declarationi* circa emolumenta non exigenda in casu discessus [3]; denique *cessionem* faciat administrationis, ususfructus et usus suorum bonorum pro tempore quo in votis simplicibus apud nos permanserit (§ 48).

III. Praepositus Novitiatus mittat ad Provincialem actum seu litteras sui Capituli, addens in privata epistola quid ipse sentiat (Formular. pag. 50-51). Sed, si Capitulum professionem denegaverit, vel eam ad alterum annum differendam censuerit, singuli quoque Vocales per secretas litteras sententiam suam Provinciali aperiant [4].

IV. Provincialis ad certiorem agnitionem, si opus fuerit, in rem praesentem veniat [5].

[1] Const. l. I, c. 2.

[2] Synops. Decr. ad l. I, c. 2 Const. referend.

[3] Formul. n. pag. 49.

[4] Const. l. I, c. 5 cum relatione ad c. 3.

[5] Const. l. I, c. 5.

V. Exquirat quoque testimonium Visitatorum [1], si in actu Visitationis novitium cognoverint.

VI. Convocet Capitulum Collegii ubi ipse residet, et, facta relatione perlectisque documentis, proponat utrum novitius sit ad professionem votorum simplicium admittendus, vel utrum professio sit ei ad alterum annum differenda.

VII. Idem postea proponat suae Consultationi, praemissa relatione deliberationis Capituli. Si Capitulum praedictum et Consultatio discordent, Consultationi data est facultas dimittendi novitium quem Capitulum probarit; sed si Consultatio stet pro admissione illius quem Capitulum reprobaverit, recurrendum erit ad Praepositum Generalem eiusque Consultationem [2].

VIII. Si professio concessa fuerit, Provincialis conficiat Decretum (Formul. pag. 169), et actui professionis intersit [3]: quod si impediatur, alium ad professionem recipiendam deleget, ut in Formulario, pag. 171. Formula professionis votorum simplicium in eodem Formulario reperitur (pag. 54). Huius formulae tria exemplaria scribantur et subscribantur a professo, alterum in libro ad hoc parato, alia duo pro Praepositis Generali et Provinciali. Verum pro Conversis formula describatur vulgari lingua (Formular. pag. 55).

Pro Oblatorum professione haec praeterea animadvertenda sunt. Praestituta probatione peracta, et habito testimonio Capituli eius loci ubi huiusmodi probatio facta est, si Praepositus Provincialis cum sua Consultatione censeat, Oblatus, praemissis protestatione et

[1] Const. l. I, c. 5.

[2] Synops. Decr. ad l. I, c. 2, Const. referend.

[3] Const. l. I. c. 5.

declaratione de quibus supra (11), ad vota nuncupanda admittatur: ad quae recipienda Superior Collegii a Provinciali delegari solet. Eadem, excepta protestatione ac declaratione, renovantur quoties, elapso triennio, Oblatus vota sua renovare petit. Formula autem professionis Oblatorum invenitur in Formulario (pag. 56), ibique (pag. 55) invenies quoque formulam litterarum Capitularium quae hac de re scribendae sunt, et (pag. 174) earum quas eadem de causa scribere debet Provincialis. Circa naturam votorum Oblatorum confer Appendicem ad librum I Constitutionum, pag. 7 seqq.

53. - Acta perficienda pro eadem professione votorum simplicium in Provinciis Italiae.

Praenotamus ea quae in legibus nostris non continentur, praecipi in Decreto Pii IX *Regulari disciplinae*, parte secunda. Itaque

I. Quicumque ex Religiosis et Novitiis cognoverit Novitium aliquo impedimento vel gravi defectu praepeditum ad statum religiosum rite assumendum, id Superiori Collegii Novitiatus, vel Provinciali, vel Superiori Generali manifestare tenetur. Superiores vero denunciantis nomen secretum retineant.

II. Prope terminum cuiusque trimestris novitiatus Magister novitiorum Provinciali de agendi ratione cuiusque Novitii scripto referat.

III. Duobus mensibus ante professionem Provincialis, sive per se sive per alium idoneum Religiosum sibi benevisum (pro delegatione istius vide Formularium pag. 167), Novitii voluntatem diligenter exploret, an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad religiosum sta-

tum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi et regulas agnoscat; secreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum Novitios, nec non Religiosos, etiam Conversos, domus Novitiatus, circa Novitium ad professionem admittendum. Post hoc *examen*, convocet Capitulum Vocalium eiusdem Domus, ut Capitulares per secreta suffragia declarent an Novitius ad professionem admitti possit votorum simplicium [1]. Deinde omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam (Formular. pag. 53) propria manu subscribat, quin tamen eos qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

IV. Testimonium quoque Visitatorum exquirat, si in actu Visitationis Novitium agnoverint.

V. Interim a Novitio professuro fiant *spirituales exercitationes, protestatio, declaratio* et *cessio*, de quibus supra (§ 52, n. II).

VI. Provincialis convocet Capitulum Collegii suae residentiae, et facta relatione perlectisque documentis, proponat an Novitius ad professionem votorum simplicium admitti possit.

VII. Relationem *examinis* a se vel a suo Delegato confectam, tribus saltem ex Examinatoribus Provincialibus communicet; et, condicto die, praefatos Examinatores convocet et cum eis Magistrum Novitiorum (si tamen hic, ratione distantiae vel alia legitima causa, ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super rebus mox indicandis relationem scriptam, illamque iuramento firmatam et propria manu subscri-

[1] Forma propositionis debet in hoc et similibus casibus esse *consultiva*, non *deliberativa*. Vide Formularium pag. 168.

ptam, ut in Formulario pag. 54); tunc, praestito ab omnibus iuramento ad sancta Dei evangelia se quacumque humana affectione postposita fideliter munus suum executuros (Formul. pag. 11), Magister Novitiorum referat; aut, si legitime absit, legatur eius relatio scripta ac iurata, de Novitii agendi ratione in Novitiatu servata, de eius libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum, et declaret utrum ipse in Domino existimet Novitium ad professionem tuto admitti posse. Provincialis deinceps et Examinatores per secreta suffragia definiant an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit; super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.

VIII. Si Novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem Generalem (Formul. p. 172); qui, ulterioribus informationibus, quatenus necessarium iudicaverit, requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in Domino existimaverit, quin tamen unquam permittere possit professionem Novitii qui ab Examinatoribus Provincialibus reprobatus fuerit.

IX. Praepositus Generalis, si probaverit, mittat ad Provincialem decretum, ut in Formulario, pag. 223.

X. Professio votorum simplicium fieri debet in Oratorio privato, vel in Choro ab Ecclesia satis separato, vel in Ecclesia ipsa, sed clausis ianuis.

54. - Acta perficienda ante professionem solemnem.

I. Quolibet anno, circa diem anniversariam professionis votorum simplicium, in Collegio ubi qui ea nuncupavit saltem a sex mensibus moratus fuerit, fiat Capi-

tulum Vocalium de illius vita et moribus, ad testimonium ei dandum; et hoc Capitulum renovetur sexto circiter vel tertio mense ante tempus pro solemni professione definitum, cum scilicet ille per novam sex vel saltem trium mensium probationem sese ad solemnia vota nuncupanda disponere incipit. Si quando vero contigerit ut bonum ei testimonium denegetur, Superior loci mittat ad Provincialem Capituli sententiam, simulque tum ipse tum Vocales mittant ad eum secretas litteras, quas omnes Provincialis (quin eas, exceptis litteris Praepositi, legat, nisi aliud statuat Capitulum Generale) remittat cum propria sententia ad Praepositum Generalem, ut hic cum sua Consultatione pro rei gravitate provideat [1].

II. Professurus novam sex vel saltem trium mensium probationem subeat in loco Novitiatus vel in aliquo alio Collegio a Praeposito Generali eligendo [2].

III. Infra duos menses qui proxime praecedent professionem solemnem, renunciet bonis suis, ut alibi (§ 49) explicavimus.

IV. Circa finem probationis professuri, in Collegio in quo ille probatur, Capitulum habeatur de eius vita et moribus in ordine ad solemnem professionem [3].

V. Actum capitulare, simulque litterae Praepositi et Vocalium mittantur ad Provincialem, qui omnia cum

[1] Appendix ad Const., et Synopsis, Decr. ad l. I, c. 5 Const.; ubi additur: « Per haec autem Capitula satisfactum etiam intelligatur, cum opus fuerit, Constitutionum decreto de testimonio a Capitulo dando Clericis nostris ad Sacram Tonsuram vel ad minores Ordines mittendis; tempusque ad illa habenda possit idcirco, vel ex alia rationabili causa, contrahi vel extendi, modo non ultra tres menses ».

[2] Append. ad Const. pag. 6.

[3] Synop. Decr. ad l. I, c. 5 Const. referend.

propria sententia transmittat ad Praepositum Generalem [1].

VI. Praepositus Generalis cum sua Consultatione eum de quo agitur vel ad professionem solemnem admittat, vel e Congregatione dimittat, vel ei professionem differendam decernat, non tamen ultra vigesimum quintum aetatis annum (§ 43). Si Consultatio affirmet professionem esse concedendam, decretum a Praeposito Generali fiat, ut in Formulario, pag. 223.

VII. Admissus ad vota solemnia nuncupanda sacris exercitationibus ad quindecim vel viginti dies vacet, iuxta Constitutionum praescriptum, nisi Superior eos contrahere opportunum existimet.

VIII. Professio solemnis in publica Ecclesia apertis ianuis fiat, nisi aliud concesserit S. Congregatio EE. et RR.

IX. In Italia, et in praesentibus rerum adiunctis, qui militiae saeculari per annum saltem inservire coguntur, adeoque ad primam conscriptorum classem (*I categoria*) pertinent, nisi certo excludendi sint (*da riformarsi*), ad professionem solemnem minime admittantur antequam militiae famulati sint. Cum vero a castris ad claustra redierint, per annum probentur in aliqua strictae observantiae domo, sub directione alicuius aetate et virtute gravis Religiosi ad hoc deputati, antequam ad solemnem professionem et ad sacros Ordines admittantur. Item, ad claustra reversi, in sacro recessu per decem dies exerceantur; quod quidem expedit ut faciant etiam ante cinguli militaris susceptionem, si commode fieri possit. Praeterea, ab Ordinariis locorum in

[1] Appendix etc. loc. cit.

quibus ultra sex menses uti milites commorati fuerint, testimoniales litterae de eorum vita et moribus requirantur. Obligentur autem Religiosi milites ut ad suam spiritualem culturam conveniant ecclesiasticos viros ab Ordinariis locorum designatos, adeoque praescribendum Provincialibus ut circa proprios subditos informent praefatos Ordinarios, eis indicando ubi immorentur iuvenes eorum vigilantiae commendandos. Ordinarii vero indicabunt Provincialibus Sacerdotes ad quos accedere debebunt iuvenes militiae adscripti. Si vero isti immorentur in loco ubi habeatur domus nostra, poterit Provincialis aliquem ex nostris ad eorum spiritualem curam deputare ; sed etiam in hoc casu monere debebit Ordinarium de praesentia eorum in Dioecesi. Idem praescribitur pro iis qui, post solemnem professionem emissam et sacros Ordines susceptos, denuo ad servitium militare ad notabile tempus vocantur. Denique, si Religiosi militares locum mutent, id Provinciali suo indicabunt, eum de sua vivendi ratione quantum fieri poterit commonentes. Si vero tempore servitii militaris aliqua libera hebdomada eis concedatur, in spiritualibus per tres saltem dies exerceantur [1].

[1] S. Congr. sup. Discipl. Reg. 27 Nov. 1892.

CAPUT VII

DE DIMITTENDIS, EIICIENDIS, ET ITERUM RECIPIENDIS

SUMMARIUM. — 55. De dimittendis nondum professis. — 56. De dimittendis professis votorum simplicium. — 57. De eiectione solemniter professi. — 58. De iterum recipiendis.

55. - De dimittendis nondum professis.

Constitutiones nostrae haec de iis habent: « Dimissionis faciendae causas et sententiam suam Praepositus Novitiatus cum Vocalibus suis Praeposito Generali exponet, isque quid faciendum sit cum Assistentium consensu arbitrabitur [1] ». Atqui viget decretum Capitulorum Generalium quo datur facultas Provinciali eiusque Consultationi Novitium dimittendi. Ubi vero viget Pontificium decretum *Regulari Disciplinae*, scrutinium Examinatorum Provincialium, quoties agitur de novitio ad primam professionem admittendo, pro Consultatione Praepositi Provincialis sufficere declaratur [2] quo in casu denegatio absoluta professionis aequivalet dimissioni.

Quod autem de Novitio dicimus, intelligendum quoque est de Postulante iam in Congregationem formaliter recepto, licet habitu nostro nondum solemniter induto, sed tunc, sicut etiam pro dimittendo novitio

[1] Lib. I, c. 6.

[2] Synopsis etc. Decr. ad I. I, c. 2, Const. referend.

antequam de eius professione agatur, non Examinatores, sed Consultores provinciales, etiam in Italia, convocandi erunt. At pro Conversis *adscriptitiis,* seu in quinquennali probatione constitutis, alio Capitulorum Generalium decreto decernitur, ut si quando in semestri Capitulo bonum eis testimonium denegetur, mittantur, cum ipsius Capituli sententia, litterae secretae a Praeposito et Vocalibus loci ad Praepositum Provincialem, quas ipse remittat ad Praepositum Generalem, ut hic cum sua Consultatione pro rei gravitate provideat [1].

Causae autem dimissionis Novitiorum et Postulantium formaliter receptorum, ex ipsis Constitutionibus (l. c.) haec potissimum erunt: si qui votis praestandis valde repugnantem naturam habeat; si sit moribus paci ac tranquillitati Congregationis nostrae contrariis, vel ad infirmiores quoquo modo depravandos accommodatis; si nostris institutis minime aptus esse videatur.

56. - De dimittendis professis votorum simplicium.

Professi votorum simplicium dimitti nequeunt ordinarie nisi a Praeposito Generali cum sua Consultatione; extraordinarie vero dimitti possunt a consilio trium saltem Religiosorum, per delegationem ipsius Generalis Praepositi eiusque Consultationis (§ 47, Declarat. IV). At, apud nos, praecedere debent, praeter Capitulum locale, litterae Praepositi et Vocalium, litterae quoque Provincialis [2].

[1] Synopsis etc. Decr. ad l. I, c. 2. Const. referend.

[2] Synopsis etc. Decr. ad l. I, c. 5. Const. ref.

Causa dimissionis debet esse gravis et respiciens mores dimittendi (§ 47-V); ideo non sufficit ad dimittendum professum quod aegra valetudine laboret, nisi forte agatur de gravi ac habituali infirmitate quae ipsum reddat muneribus nostris obeundis imparem, quamque ipse, cum ad habitum vel professionem admissus fuit, per fraudem occultaverit vel mentiendo denegaverit. Nec insuper sufficit ad eum dimittendum eius ignorantia aut ingenii tarditas, siquidem Religio, antequam eum reciperet et ad professionem admitteret, tenebatur eius scientiam ingeniumque probare. Excipe si ipse, dum suae eruditionis periculum faceret, per fraudem et dolum examinatores deceperit, v. gr. *compositionem* ab alio confectam exhibens ut suam, vel litteras testimoniales in favorem sui ingenii ac suae eruditionis *falsificaverit*, et sic Superiores a periculo faciendo eum dispensaverint.

Quoad Instituta quae vota solemnia non habent, S. Congregatio EE. et RR. die 4 Novembris 1892 haec decrevit quae etiam nobis scitu utilia sunt: « Dispositiones contentae in decreto S. Congregationis Concilii iussu Urbani VIII edito die 21 Septembris 1624, incipiente *Sacra Congregatio,* ac in decreto eiusdem S. Congregationis iussu s. m. Innocentii XII edito die 24 mensis Iulii anni 1694, incipiente *Instantibus,* ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed *servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium,* quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed *perpetua* professo, vel votis simplicibus *temporaneis adstricto ac in sacris insuper*

Ordinibus constituto; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant... nisi ob culpam *gravem, externam* et *publicam*, et nisi culpabilis sit etiam *incorrigibilis*. Ut autem quis *incorrigibilis* vere habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, Superiores debent processum instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere quo suas defensiones sive per se sive per alium eiusdem Instituti religiosum exhibere valeat: quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, vel Tribunal, defensorem ut supra alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata ad S. Congregationem EE. et RR. rite appellaverit, quamdiu per eamdem S. Congregationem definitivum iudicium prolatum non fuerit. Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C. »

Pro dimittendis autem iis qui vota temporaria emiserint, nec sint in sacris Ordinibus constituti, standum erit Statutis cuiusque Sodalitatis ab Apostolica Sede approbatis, aut obtentis facultatibus et privilegiis. Semper tamen requiritur iusta et gravis causa.

Pro Institutis mulierum, eorum Praesules, salvis specialibus privilegiis, ad dimittendas Sorores votis simplicibus adstrictas tenentur recurrere ad S. Sedem, quae

solet Ordinarii sententiam exquirere eique executionem decreti expulsionis committere.

Sive vero agatur de viris sive de mulieribus, dimissio non trahit secum dispensationem a votis, nisi tale privilegium concessum fuerit alicui Instituto. Igitur, secluso privilegio, valebit pro omnibus responsum S. C. EE. et RR. pro casu particulari datum, nempe: *recurrendum ad hanc S. Cong. ab ipsis alumnis, postquam fuerint legitime dimissi, pro enuntiata dispensatione obtinenda* [1].

57. - De eiectione solemniter professi.

Ad expellendum solemniter professum haec, *de iure ordinario,* requiruntur:

I. Non sufficit prudens quodcumque iudicium, sed requiritur formalis processus, instruendus iuxta stylum et Constitutiones Ordinis, servatis tamen inferius exponendis; et in sententia plene referri debent causae expulsionis ad sacrorum canonum praescriptum.

II. Resultantia processus debent accusato contestari, eique concedi debet tempus opportunum ad sui defensionem; quod si ipse nec per se nec per alium Sodalem se defenderit, constituatur illi defensor ex officio ex alumnis eiusdem Ordinis.

III. Non sunt expellendi nisi soli *incorrigibiles,* qui nempe grave delictum commiserint his circumstantiis qualificatum, ut in Religionis dedecus, populi scandalum et Religiosorum contagium cedat.

IV. Requiritur ut de delicto constiterit vel per ipsius rei confessionem, vel per testium probationes.

[1] S. C. d. 10 Ian. 1896 (*Analecta Ecclesiast.* an. V, fasc. 2, fol. 54).

V. Requiritur ut reus pluries deliquerit, et ter de delicto convictus, admonitus et punitus, iterum graviter deliquerit.

VI. Post trinam monitionem et trinam iuridicam punitionem delictorum, eiusdem vel diversi generis, requiritur ut reus requisitus, ac in carcere Conventus per sex saltem menses continuos in ieiunio et poenitentia probatus, animo indurato in sua pervicacia perseveraverit. Ubi vero eiusmodi poena carceris ob leges civiles imponi nequeat, prudenter, antequam ad expulsionem deveniatur, consulenda erit S. Congreg. EE. et RR.

VII. Oportet demum ut delicta continuentur moraliter, ut reum in malo obfirmatum ostendant; quae continuatio colligitur ex brevitate temporis intra quod commissa fuerint. Communiter retinetur eum qui post singula delicta commissa laudabiliter saltem per tres annos vivit, pravam voluntatem, per actus poenitentiae et emendationis tempus, discontinuare et interrumpere.

VIII. Eiectio fieri nequit nisi a Praeposito Generali cum assensu maioris partis sex Patrum ex gravioribus Religionis, qui eligendi sunt in Capitulo Generali; vel a Praeposito Provinciali cum assensu sex Patrum in Capitulo Provinciali eligendorum, sed tunc sententia debet, ut sit valida, a Praeposito Generali confirmari.

IX. Religiosus ad expulsionem damnatus potest infra decem dies ab hac sententia ad S. Sedem appellare, sed non potest extra carcerem sua iura experiri.

X. Sententia expulsionis debet a Praeposito Generali vel Provinciali significari Ordinario loci, qui tamen de illius iustitia agnoscere nequit [1].

[1] Cf. circa eiectionem Decr. S. C. Conc. sub Urbano VIII, d. 21 Sept.

Haec quidem *de iure ordinario;* sed hodie S. Congregatio super Disciplina Regularium facultatem habet procedendi contra incorrigibiles *iudicio summario,* derogando a praxi et formalitatibus a Constitutionibus Apostolicis praescriptis, ut constat ex eius litteris encyclicis diei 28 Iunii 1872 [1].

Consectaria eiectionis exponemus § 58, et fusius § 115, ubi *de eiectis.*

58. - De iterum recipiendis.

I. *De nondum professis* Constitutiones nostrae haec statuunt: « Si aliquis iterum recipi petat, qui vel dimissus sit vel sponte abierit, primum res deferri debet ad Capitulum Collegii a quo ille discessit, ut cognoscat an denuo admitti mereatur; postea Praepositus Generalis de consensu Assistentium deliberabit an sit denuo recipiendus ». Petendae tamen erunt litterae testimoniales Episcoporum in quorum dioecesibus ille per annum moratus fuerit post suum e Congregatione discessum. Praeterea, ubi viget Decretum *Regulari Disciplinae,* renovanda erunt, praevio examine, scrutinia Examinatorum sive provincialium sive generalium.

Num forte curandum sit ut qui sponte discesserunt, revocentur, relinquitur prudentiae eorum quibus recipiendi cura commissa est: hoc tamen tentari non debebit, nisi prius consensus Praepositi Generalis vel Provincialis accesserit. Eorum quoque prudentiae remittitur quando et quomodo iterum recepti satisfacere

1624, quod incipit *Sacra Congregatio,* et Decr. Innoc. XII d. 24 Iul. 1694 incip. *Instantibus;* item, Bened. XIV *De Syn. Dioec.* l. XIII, c. 11, et De Angelis l. III, tit. XXXI. n. 15, pag. 120 seq.

[2] *Acta S. Sedis,* vol. VII, pag. 411.

debeant, et qua disciplina eorum institutio repeti. Id unum Constitutiones nostrae praecipiunt denuo receptos *ita habendos esse ac si tunc primum recepti essent* [1]; idque concordat cum doctrina superius exposita (§ 33) circa necessitatem *reiterandi* canonicum tirocinium quoties non suspenditur sed interrumpitur: si tamen agatur, non de Novitio nondum professo, sed de Postulante nondum Novitio, licet iam apud nos in Congregationem recepto, poterit Praepositus Generalis de Assistentium consensu eum dispensare ab iteranda integra probatione trimestri vel bimestri si futurus Clericus sit, non tamen a quinquennali, si Conversus, quia ab hac Capitulum Generale solum, donec aliter statuatur, potest dispensare.

Praecipuae rationes perpendendae, cum agitur de iterum recipiendo nondum professo, haec, ex citatis nostris Constitutionibus, erunt: « *Si fuerit dimissus,* diligenter videatur num adhuc in ea causa sit propter quam dimissus fuit, et quam magna spes sit eventus melioris; *si sponte abierit,* qua de causa aut qua ratione abierit considerandum erit, et quae de eius constantia et progressu spes haberi possit » [2].

II. *Quoad professos votorum simplicium,* qui vel per dimissionem vel per Apostolicum indultum a votis Religionis absoluti aut dispensati abierint, pro ipsis iterum omnia peragi debent ac si primum reciperentur; et, licet documenta ab ipsis pro prima receptione exhibita circa baptismum, confirmationem, studia et similia, renovanda

[1] Const. l. I, c. 6. Hic Constitutiones requirunt *reiterationem* probationis; in verbis praecedentibus remittunt Superioribus *disciplinam* plus minusve *rigorosam* in hac *reiterata* probatione imponendam.

[2] Const. l. I, c. 6.

non sint, petendae tamen erunt litterae testimoniales Ordinariorum, in quorum Dioecesibus per integrum saltem annum, post discessum a Novitiatu, morati fuerint.

III. *Professi votorum solemnium,* qui vel *eiecti* fuerint, vel per S. Sedis indultum *saecularizati,* si denuo recipi petant et (eiecti) resipuerint, sine novitiatus et professionis renovatione admitti possunt. Re enim vera quoad *saecularizatos* S. Congregatio EE. et RR. die 30 Ianuarii 1824 declaravit « professionem religiosam non infirmari per rescripta de quibus agitur (nempe *saecularizationis),* ac proinde non teneri Indultarios professionem et novitiatum reiterare, quando petunt ad claustra redire: salva tamen consuetudine legitime introducta atque praescripta singulorum Ordinum Religiosorum: posse tamen per Superiores Religiosos exquiri documenta anteactae vitae et morum dum in saeculo versabantur, et obligari ad spiritualia exercitia peragenda [1]... Quoad *eiectos* autem certum pariter est eorum vota per eiectionem non cessare, ipsos teneri sub gravi se emendare et ut denuo a Religione recipiantur curare; Superiores vero Regulares sub gravi teneri eos annuatim requirere, et emendatos iterum benigne recipere, idque ex iure naturali et divino, cum ipsorum spirituali cura onerati remaneant, nec non ex Decreto Innocentii XII diei 24 Iulii 1694, quod incipit *Instantibus;* quamquam hodie Superiores ipsi, propter exemptionem, nequeant ad eos requirendos et recipiendos ab Ordinariis locorum cogi sub censura [2].

Quod de *eiectis* diximus, dicendum quoque est de *fugitivis* et *apostatis* (cf. § 114).

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 59; II, pag. 48.

[2] Cf. De Angelis, lib. III, tit. XXXI, n. 15, pag. 123.

CAPUT VIII

DE RELIGIOSA PERFECTIONE IN GENERE, ET DE PAUPERTATE IN SPECIE

SUMMARIUM. — 59. Obligatio tendendi ad perfectionem. — 60. De speciali obligatione Superiorum. — 61. Ad quid obliget votum paupertatis. — 62. Quaenam licentia requiratur ut Religiosus licite possit accipere et retinere bona temporalia, de iis uti ac disponere. — 63. Canones ecclesiastici circa religiosam paupertatem. — 64. Casus frequentiores contra votum paupertatis. — 65. De livellis, peculio et vita communi perfecta. — 66. De paupertate prout est virtus. — 67. De paupertate prout respicit Communitatem. — 68. De munerum largitionibus.

59. - Obligatio tendendi ad perfectionem.

Quamquam Religiosi non teneantur esse actu perfecti, tenentur tamen perfectioni studere per media sibi in Religione proposita; cui quidem obligationi essentialiter satisfaciunt servando vota et cetera omnia quae illis in Religione, saltem sub gravi, praecipiuntur. Haec, inquam, sunt media *essentialia* quae *primario* obligant; sed *secundario* Religiosus tenetur saltem non contemnere media *accidentalia*, regulas nempe et constitutiones Ordinis et ea quae sub levi praecipiuntur. Igitur peccant contra obligationem tendendi ad perfectionem qui vel perfectionem ipsam eiusque assequendae media *contemnunt* [1], vel sibi deliberate *proponunt* mortalia tantum vitare, cetera negligere, vel vota Religionis violant, aut in vera tepiditate torpescunt.

[1] Circa *contemptum* regulae cf. § 72.

Graviter quoque hac in re peccare censendus est qui consulto regularem disciplinam conculcat ut dimittatur seu eiiciatur a Religione; nam eo ipso quod perfectioni teneatur studere, debet, quantum in se est, in statu religioso perseverare. Idem dicendum de iis qui *falsis allegationibus* dispensationem a votis simplicibus obtinent, vel, cum sint solemniter professi, saecularizationis indultum carpunt, ut liberius vivant.

60. - De speciali obligatione Superiorum.

Superiores tenentur plus quam subditi propriae perfectioni studere, cum debeant esse eorum forma et exemplar. Tenentur insuper sedulo curare ut subditi quoque perfectionem sui status prosequantur, cum istorum spiritualis cura sit illis commissa, et bonum Communitatis a capite praecipue dependeat. Graviter igitur peccant, si negligant corrigere graves subditorum defectus, vel etiam leves, si plures sint et tales qui communi disciplinae graviter noceant. Nec tantum corrigere, sed inquirere quoque debent, seclusa tamen nimia sollicitudine, defectus huiusmodi; in hoc enim potissime vigilantiae officium consistit. Expedit tamen aliquando alicuius defectus et culpas dissimulare, modo scandali periculum absit, si vel timendum sit ne subditus ex correctione peior evadat, vel ad opportunius tempus differenda videatur correctio; illud quidem ad maius malum vitandum, istud ad maius bonum obtinendum.

Caveant tamen ne sub facili prudentiae praetextu *canes muti,* ut Scriptura loquitur, fiant, et infelicis Heli imitatores: caveant ne similes fiant falsis prophetissis de quibus Dominus dixit: *Vae, quae consuunt pulvillos*

sub omni cubitu manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis, ad capiendas animas! [1] Facile sane est et commodum per nimiam indulgentiam tepidorum sibi amorem conciliare; sed eos sic ab amore Dei et ab officio avertere, aut saltem in suis defectibus ac in spiritualis ruinae periculo relinquere, verae charitati prorsus adversatur.

61. - Ad quid obliget votum paupertatis.

In primis adnotandum est bona quaecumque *temporalia,* seu melius *corporea,* homini extrinseca et pretio aestimabilia, constituere huius voti *materiam.* Excipiuntur propria cuiusque manuscripta, et probabiliter etiam tabulae pictae aliaque similia liberalium artium opera in materia vili ac minimi pretii ab ipso Religioso elaborata; quorum tamen detentio potest a regula vel a Superioribus interdici.

Reliquiae autem Sanctorum aequiparantur bonis *spiritualibus,* sed thecae in quibus asservantur, si pretiosae, cadunt sub voto paupertatis; praeterquamquod regula vel Superiores possunt earum usum moderari. Sic, apud nos in Regulis officii Praepositi localis (n. 18) haec praescribuntur: « Sanctorum reliquias in Ecclesia, vel Sacrario, reverenter asservari curet, horteturque Fratres ut si quas, venia Superiorum, apud se habeant, eas in Ecclesiam conferri malint, una tantum alterave ad propriam fovendam pietatem retenta. Nihil vero earum quae in Ecclesia sunt cuiquam dari permittat, sine facultate scripta Praepositi Generalis seu Provincialis ».

[1] Ezech. XIII, 18.

Praenotamus insuper votum paupertatis directe afficere solos actus *exteriores;* posse tamen coram Deo violari etiam actu *interno,* v. gr. desiderio vel proposito illud violandi actu externo [1].

Incipientes igitur a voto *simplici* paupertatis, cuius differentiam a voto solemni alibi explicavimus (§ 6), asserimus Religiosum simplicia vota professum posse quidem retinere dominium directum seu radicale omnium bonorum quae ante professionem legitime possidebat, ac insuper acquirere ac retinere eamdem nudam proprietatem bonorum quae post professionem dono, legato, successione haereditaria, accessione alioque iure, non quidem intuitu Religionis cuius membrum est, sed intuitu ipsius personae, illi obvenire potuerint; at minime posse ea pro lubito, absque Superiorum venia, administrare, neque iis frui et uti; sicuti iam diximus cum de professione sermo fuit (§ 47, Declar. IX, et § 48).

Sed enim hic quaeritur an, quomodo et quando professi votorum simplicium possint disponere de bonis suis, sese expoliando dominio directo seu radicali de quo supra. Et quidem de iis qui emittunt vota simplicia in aliquo pio Instituto vel pia Congregatione ubi non habentur vota solemnia, haec scribit cl. Bizzarri [2]: « Quod si quaeratur quomodo de eorum bonis post emissam professionem disponere possint, nullum aliud responsum dari potest, nisi opus esse ut sedulo inspiciantur Constitutiones respectivi Instituti; non enim generalis aliqua dispositio habetur; ideoque Constitutionibus et Statutis ab Apostolica Sede approbatis stan-

[1] Bucceroni, vol. II, n. 130 *Theol. Mor.*

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 80; II, pag. 75.

dum prorsus erit. Et revera aliud statutum est pro Clericis excalceatis SS. Crucis et Passionis D. N. I. C., aliud pro Presbyteris SS. Redemptoris, et sic de aliis».

At in Religionibus formalibus, si professus votorum simplicium, exceptis casibus alibi enumeratis (§ 49), ante bimestre praecedens professionem solemnem renunciet dominio directo suorum bonorum, idest de sorte ipsa disponat, praeter pensionem pro victu et vestitu in favorem Religionis, nulliter agit, ex Concilio Tridentino, in sensu tamen superius explicato (§ cit.): si autem disponat de fructibus, sive naturalibus sive civilibus, vel bona ipsa administret, sine Superiorum licentia, huiusmodi dispositiones *validae* quidem, sed *illicitae* evadent; et, saltem probabiliter, Superior illas *invalidare* poterit ob *dominativam* potestatem quam habet in voluntatem subditi vi voti obedientiae, *nisi intercedat iam ius quaesitum tertii* [1].

Deveniamus nunc ad votum paupertatis *solemne*. Solemniter professus, non solum non habet usum iuris seu independens cuiuslibet rei temporalis, sed est omnino incapax dominii individualis, adeoque inhabilis ad quemlibet individualis proprietatis actum, puta venditionis, emptionis, permutationis, mutui, commodati, donationis inter vivos vel mortis causa etc.; et si quid legato, haereditate, dono, stipendio etc., acquirit, id non sibi, sed Monasterio acquirit. Monasterium tamen, seu Ordo, amittit ius repetendi ea bona, si per legitimam conventionem nuncium miserit [2].

Hinc, non solum *illiciti*, sed *nulli* sunt actus pro-

[1] Suarez, Lugo, Bouix, ap. Bucceroni vol. II; n. 282; Craisson, n. 2778.
[2] *Acta S. Sedis*, vol. XVIII, pag. 90.

prietatis si qui a solemniter professo proprio nomine propriaque auctoritate fiant.

Etiam obtento indulto *perpetuae saecularizationis*, Regularis ille nequit disponere, sive inter vivos sive mortis causa, de ipsis bonis post dictum indultum acquisitis, nisi specialem ad hoc a S. Sede obtineat facultatem, quae solet certis et determinatis conditionibus et cautelis coarctari [1]. Sane donatio immobilium mortis causa facta a solemniter professo, licet indultum Apostolicum obtinuisset disponendi de pecunia licite ab eo dispersionis tempore comparata, nulla declarata fuit a S. Congr. EE. et RR. die 11 Martii 1853 [2].

Praeterea, dum professus votorum simplicium, si absque permissione disponat, non quidem de bonis Communitatis (quo in casu iustitiam laederet), sed de iis quorum habet radicale dominium, peccat tantum contra votum paupertatis, minime vero contra iustitiam; solemniter vero professus, si propria auctoritate disponat de bonis a se ante professionem Communitati allatis, aut postea a se, sed Communitati acquisitis, peccat, non solum contra votum paupertatis, sed etiam contra iustitiam, adeoque, nisi a Superiore legitime dispensetur, debet reddere aut quantum in se est curare ut restituatur ablatum.

Si quaeras autem quandonam violatio voti paupertatis sit peccatum mortale, respondemus peccatum illud esse obiective grave quoties gravis est materia, gravitatem vero materiae iudicandam esse ut in furto filiorumfamilias, ac potissimum pendere ex circumstantiis, puta a paupertate Monasterii, a valore pecuniae iuxta

[1] Bizzarri, *Collectan.* ed. 1, pag. 80; 2, pag. 75.

[2] *Collectan.* ed. 1, pag. 674; 2, pag. 621.

tempora ac regiones, et, si non agatur de pecunia, a valore rerum; demum a qualitate actus, seu ab usu quem quis fecerit de pecunia et rebus praedictis, prout nempe de iis in proprium usum, vel in utilitatem Conventus, vel in favorem extraneorum disposuerit.

Non tamen obstat voto paupertatis, etiam solemni, quod Regularis vel *ex S. Sedis dispensatione* testetur de bonis sibi *civiliter* obvenientibus, vel *ex mandato Superiorum* aut testamentum condat aut alios actus civiles instar proprietarii perficiat ad Ordinis utilitatem et modo a Superioribus definito, in locis ubi lex civilis non agnoscit Ordinem ipsum ut *ens morale* et civilem existentiam illi denegat.

Equidem die 18 Aprilis 1868 S. Poenitentiaria concesserat Superioribus Generalibus facultatem indulgendi propriis subditis in Italia suppressis ut, *attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus*, non obstante solemni voto paupertatis, bona sibi legitimo iure spectantia, ac etiam haereditates (salvo tamen iure tertii quaesito) recipere, adire ac retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios honestosque usus, ac praesertim in favorem sui Ordinis, nec non in grati animi significationem, per actus inter vivos, sive causa mortis, disponere valeant, accedente ipsius Superioris vel alterius per eum deputati, aut saltem, in casu necessitatis, Confessarii consilio et approbatione; ita tamen ut rerum suarum administrationem ac reditus, quamdiu vixerint in Communitate quae temporalia bona possidere possit, eidem Communitati tradere, et quidquid ex bonis propriae Religionis eisdem provenerit, ipsi Religioni, adhibitis cautelis, relinquere teneantur. At postea, mutatis adiunctis, S. Sedes hu-

iusmodi exstraordinarias facultates ad se iterum advocavit.

Si denique quaeras an Religiosi possint esse *executores testamentarii*, respondemus id licere, ex iure canonico, exceptis Fratribus Minoribus, nisi obstent Constitutiones Ordinis aut Superiorum decreta. Id vero generatim minime expedire nemo non videbit.

62. - Quaenam licentia requiratur ut Religiosus licite possit accipere et retinere bona temporalia, de iis uti ac disponere.

Ut sarta tectaque servetur religiosa paupertas, Superiorum licentia debet in primis esse *legitima*, idest a legitimo Superiore, intra limites suae potestatis, ad honestum finem, libere concessa. Hinc legitima dici nequit si Praelatus qui eam concessit iam ab alio Superiore suffectus fuerit qui eam non confirmet; nec si Superior eam concedat hospiti, alii Superiori subdito; nec si praesumat subdito permittere *proprium*, aut usum perpetuum ac irrevocabilem, aut superflua et luxuosa a regulis vetita; nec si concedat aliquid ad quod ex Constitutionibus Ordinis requiratur consensus Superioris maioris; nec si aliquid petatur ad finem inhonestum aut religiosum virum dedecens; nec tandem si consensus Superioris vi, vel metu, vel dolo et pravis artibus obtineatur.

Superflua et luxuosa, de quibus modo diximus, sive in sumptibus sive in supellectili consistant, generatim non opponuntur voto, sed virtuti et perfectioni religiosae paupertatis (§ 67); attamen « quoties pravus affectus efficit ut quis velit seu prosequatur quidpiam contra

praeceptum Dei, v. gr. contra legem temperantiae vel charitatis, non erit simplex imperfectio, sed verum peccatum. Ceterum bene advertit Lugo, si quo in Ordine votum paupertatis severius observetur, culpa contra paupertatis votum non carere eum subditum qui superflua, etiam cum Superioris licentia, retinet ». Ita. cl. Ballerini [1].

Licentia illa debet insuper esse *expressa,* vel saltem *tacita*, aut rationabiliter *praesumpta* seu *interpretativa*.

Expressa ea dicitur quae verbis, vel scripto, vel aliis evidentibus signis aperte manifestatur. Haec, mutato Superiore, non illico cessat, sed tantum si non confirmetur opportuno tempore a novo Superiore.

Tacita ea est quae ex consuetudine, vel ex circumstantiis, Superiore sciente ac silente, prudenter colligitur; vel etiam quae implicite et virtualiter continetur in aliqua ordinatione vel permissione expressa. Sic iussio aut permissio expressa itineris agendi, implicite continet licentiam faciendi necessarias expensas; iussio aut permissio expressa manendi per integram diem aut diutius apud extraneos, implicite continet licentiam ibi sumendi cibum; sic etiam ex gratioso silentio, eoque magis ex gratulationibus Superioris in cuius praesentia donum aliquod tibi offertur, colliges tacitam illius licentiam donum, sin retinendi, saltem accipiendi; et in permissione expressa aliquid Sodalibus distribuendi, satis continetur pro ipsis licentia acceptandi: sic denique si Praelatus tibi donet aut dari permittat pia numismata, rosaria, imagines etc., sciens te illis ad pro-

[1] Ad n. 155, vol. II Gury.

prium usum non indigere, tacite tibi concedit facultatem ea aliis elargiendi.

Praesumpta seu *interpretativa* appellatur licentia quae non praeexistit in alia, sicut tacita, sed futura supponitur, si peteretur.

Ut sit *rationabiliter* praesumpta requiritur 1° ut urgeat necessitas aut saltem moralis convenientia sine mora agendi; 2° ut Superior hic et nunc adiri non possit; 3° ut id quod fit cum praesumptione illius consensus sit iustum, rationabile ac prudens; velut si ipse illud concedere soleat, vel si scias ipsum id desiderare aut saltem gratum habere, si fiat. Attamen, si agatur de re permanente, v. gr. apud te retinenda, licentia expressa tibi petenda erit statim ac commode poteris.

Quod si licentia petatur, et Praelatus eam *indebite* deneget, rem nihilominus praestando non excusaberis a transgressione voti paupertatis, nisi agas ad vitandum gravis ac imminentis damni periculum, quo in casu rationabiliter praesumeres consensum Superioris maioris [1].

63. - Canones ecclesiastici circa religiosam paupertatem.

I. Concilium Tridentinum (Sess. 25, cap. 2 *de Regularibus*) haec statuit: « Nemini... Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, *tamquam propria*, aut etiam *nomine Conventus*, possidere, vel tenere; sed statim ea Supe-

[1] S. Alph. M. de Lig. h. l. n. 33. — Bucceroni, vol. II, n. 286.

riori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis quam professi sunt conveniat nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam iuxta suae regulae et Ordinis constitutiones puniatur ».

II. Clemens VIII in sua Constitutione *Nullus* diei 25 Iunii 1599 haec decrevit: « Nullus, etiamsi Superior, bona immobilia vel mobilia, pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus sive ex lectionibus sive pro Missis celebrandis, aliove iusto labore et causa acquirantur, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tam proprio quam etiam nomine Conventus, possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur et Conventui incorporentur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari valeat.

« Nullis Superioribus liceat alicui Regulari bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam, etiam depositi aut custodiae nomine, concedere.

« Rerum vero ad necessitatem concessarum nullus quicquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur.

« Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

« Nulla dispensatio aut nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, Fratres excusare possit quo minus culpis et poenis impositis obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent huiusmodi dispensationes et licentias concedere posse, quibus in ea re fides minime adhibenda est.

« Fratrum vestitus et supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, et tam in Fratribus quam in quibuscumque Superioribus omnino uniformis sit, ac desponsae paupertati conveniat; ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam necessarii alicui denegetur.

« Quaecumque Fratrum vestes, sive laneae sive lineae, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno vel a duobus Fratribus custodiantur, ut inde, Superioris arbitrio, prout opus fuerit, subministrari opportune possint.

« Omnes autem Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, vino eodemque obsonio in communi mensa vescantur, nec singulare aliquid privatim habeant, sub poena nihil alimenti ea die percipiendi, nisi panem et aquam.

« Superiores omnes, etiam Generales, qui reditus peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta et expensa in libro distincto diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione officii sui necessarios, quicquam expendant. Cum vero contigerit ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniae quantitatem in commune conferant, ex qua sibi suisque sociis victus

ad praescriptum regulae et constitutionum suppeditetur.

« Nullus ex Superioribus localibus administrationem bonorum et redituum sui Conventus per seipsum habere valeat, sed huiusmodi onus a Generali tribus Fratribus eiusdem Conventus ita demandetur, ut unus rerum, bonorum, redituum colligendorum et exigendorum curam habeat; alter tamquam depositarius pecunias et cetera collecta et exacta fideliter asservet; alius denique res necessarias Conventui universo, mandante tamen ipso Superiore, distribuat atque provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

« Hi tres singulis mensibus suo Superiori, et deinde Generali cum advenerit, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus eiusdem Conventus peritioribus, tam impensi quam accepti rationem reddant. Ipsemet vero Generalis in quolibet Capitulo Generali coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis universam suae administrationis tam publicae quam privatae rationem reddere teneatur; cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ut ad omne mandatum Sedis Apostolicae Romam transmitti possit.

« In unoquoque Conventu is tantum Fratrum numerus in posterum constituatur ac retineatur, qui commode possit sustentari; reditus vero et supradicta omnia in tuto ac communi loco asserventur.

« Nullis Superioribus liceat Concilii Tridentini et haec decreta declarare, interpretari aut relaxare, sub poena privationis omnium graduum officiorumque, ac perpetuae ad ea inhabilitatis, ipso facto incurrenda » [1].

[1] *Compend.* pag. 23 seqq. a n. 3 ad 15 inclusive.

III. Operae pretium est sequentes addere decisiones S. Congregationis Concilii [1]:

Quaeritur 1° an ex dispensatione inferiorum Summo Pontifice liceat Regularibus possidere vel tenere agros, annuos reditus aliaque bona, immobilia videlicet, et mobilia superflua, non obstante decreto Concilii (sess. 25, *de Regul.* cap. 2).

Respondit non licere.

Quaer. 2° an propter talem dispensationem seu scientiam Superiorum, possidentes vel tenentes immobilia vel mobilia superflua a culpa vel a poena excusentur.

Resp. non excusari neque a culpa neque a poena ipso facto incurrenda.

Quaer. 3° an Superioribus asseverantibus huiusmodi licentias posse concedere, fides adhibenda sit.

Resp. minime adhibendam.

Quaer. 4° an Superiorum arbitrio et praefinitioni stare debeant Regulares quoad mobilium superfluitatem et convenientiam.

Resp. nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personae, officii et regulae statusque paupertatis quam professi sunt, et ceterarum itidem qualitatum.

Quaer. 5° an Superiore, quantumvis requisito, necessaria suis Regularibus negante vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel invito eo, illa sibi comparare seu retinere.

Resp. non licere.

Quaer. 6° et quatenus liceat, an itidem liceat, cum

[1] Giraldi, *Expositio iuris Pontific.* parte I, sect. 555; apud De Angelis, t. II, part. II, pag. 160.

necessaria *ideo* negantur vel subtrahuntur quia Monasterii facultates non suppetunt.

Resp. licere, si praecisa necessitas sit ad individui *sustentationem*: ceterum communem pecuniam ab omnibus percipiendam, usque adeo ut, si quid privatim alicui delatum vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat eius necessitati cuius intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur; reliquum Conventui incorporetur, ut in communem cedat utilitatem.

Quaer. 7° an dicti Superiores Regulares dictum caput secundum declarare et interpretari possint.

Resp, non posse.

IV. Ex S. Congregatione Episcoporum et Regularium, die 14 Februarii 1845 [1]:

Quaer. 1° an Bulla Clementis VIII pro Reformatione Regularium [2], praesertim §§ 3 et 7 spectantes observantiam voti paupertatis, obliget sub poena peccati mortalis.

Resp. affirmative.

Quaer. 2° an religiosus qui obtinuit Breve saecularizationis et Indultum testandi, si redeat ad claustra cum mobilibus pretiosis, possit de iis disponere independenter a Superiore, an debeant dicta mobilia Monasterio incorporari.

Resp. negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Quaer. 3° an Religiosus translatus ad aliud sui Or-

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 572; II, pag. 520.

[2] Idest Bulla *Nullus* sup. cit. n. 11.

dinis Monasterium, possit secum transferre ea quae illi a Regula conceduntur.

Resp. affirmative, cum licentia Superioris; et dummodo Superior non permittat mobilia superflua, et, multo minus, pretiosa.

N. B. Decreta in hoc paragrapho relata, quoad dominium directum seu radicale, respiciunt solos professos votorum solemnium; nam dominium illud, ut iam diximus (§§ 6, 47 n. IX, et 61), permittitur professis votorum simplicium.

64. - Casus frequentiores contra votum paupertatis.

Peccat Religiosus contra votum paupertatis si, absque Superiorum licentia, ab extraneis accipiat et in opera charitatis expendat pecuniam ideo sibi oblatam ut de ea pro suo lubito libere disponat. Aliter dicendum si ei tradita fuerit impendenda ad scopum determinatum, v. gr. in favorem talis familiae vel alicuius pii operis ab oblatore designati, et probabiliter etiam si scopus ab oblatore non fuerit determinatus nisi in genere, v. gr. pro pauperibus; ratio est quia tunc Religiosus non ageret nisi ut intermediarius, et alieno, non proprio, nomine. Id tamen, licet non sit contra votum paupertatis, potest esse contra regulam et contra perfectionem obedientiae. Sane Constitutiones nostrae haec praescribunt: « Nemo accipiat aliquid restituendum, sine concessu Superioris: nihil pariter sine eiusdem concessu quisquam petat aut accipiat in eleemosynas erogandum. Erogatio item ipsa et restitutio, cum libera est, ad eiusdem arbitrium referatur. Pecuniam

hac de causa datam, si aliquantisper retinenda necessario sit, apud se nemo habeat, sed in arca communis pecuniae reponatur [1] ».

Peccat quoque contra paupertatis votum Religiosus qui, absque licentia, rem alienam accipit *in depositum per contractum;* quia tunc adest ex una parte ius, ex altera obligatio ex iustitia. Aliter dicendum esset si quis rem acciperet tantum *in fidam custodiam,* sine ulla *obligatione;* et tamen etiam in hoc casu obstare potest sive regula sive Superiorum prohibitio. Sic, Constitutiones nostrae prohibent ne a nostris suscipiatur alienae pecuniae custodia seu depositum nisi, ita exigente charitate, id Praepositus Generalis alicui concedat [2]. Hic vero quaeri potest an Religio teneatur de deposito, si res penes Religiosum deposita, eius dolo vel culpa amittatur. Respondemus distinguendo: Si Monasterium cum suo Praelato depositum in suam fidem et custodiam recepit, etsi revera res deposita sit penes Religiosum, obligatur ad instar aliorum depositariorum, prout tenent unanimiter Doctores. Si vero ille Religiosus depositum accepit ut persona singularis, quamvis fortasse ad acceptandum obtinuerit veniam sui Praelati, Monasterium de deposito non tenetur, nisi in quantum res deposita conversa fuerit in Monasterii utilitatem [3].

Peccat insuper contra votum paupertatis Religiosus qui promittit se pro alio, puta pro amico vel propinquo, debitum soluturum, si hic non solvat; nam Religiosus *fide iubere* nequit sine Praelati et maioris partis Capi-

[1] Const. l. II, c. 1.
[2] Const. l. III, c. 4.
[3] De Angelis, t. I, pag. 312.

tuli consensu, et quidem tantum in re parva, raro admodum et ex rationabili causa; secus, illicite agit, et Conventus non tenetur pro his aliquatenus respondere, nisi forte in utilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse [1].

Nec a peccato contra votum paupertatis excusari possunt Procuratores aliive Collegii officiales quibus aliquid administrationis committitur, si, inconsulto et inscio Superiore, expensas faciant *extraordinarias,* sub praetextu permissionis *tacitae:* non enim habent hanc tacitam licentiam, nisi pro expensis *ordinariis* officii sibi commissi.

Similiter peccat Regularis qui, de mandato aut de licentia Superiorum iter agens ad locum determinatum, a recto tramite notabiliter deviat, aut quomodocumque expensas extraordinarias minime necessarias sibi permittit, sub praetextu licentiae *praesumptae* seu *interpretativae;* quia voluntas Superioris potius contraria his futilibus expensis et divagationibus quam favens praesumenda est.

Item laesi voti reus efficitur qui, inconsulto Superiore et propria omnino voluntate, recusat retributiones pecuniarias dari solitas pro impensa opera vel praestitis officiis, aut etiam dona gratuita, non sibi *personaliter* oblata (quae licet recusare), sed oblata *ut religioso,* Communitatis vel Ordinis intuitu. Quod si illi obveniat legatum hac clausula ut ad eum *personaliter* pertineat, aut id exigatur tamquam conditio *sine qua non,* et tunc debet legato, utpote statui religioso repugnanti, renunciare: aut illa clausula non exprimit con-

[1] De Angelis, t. II, part. I, pag. 359.

ditionem essentialem contractus, et tunc Religiosus nequit absque Superiorum permissu legatum abiicere, quia conditio iuri contraria, sed accidentalis, ut nulla habetur. Legatum autem in favorem solemniter professi Monasterio acquiritur.

Votum praeterea paupertatis violat Religiosus qui ad aliud Collegium missus, sine debitis licentiis, praeter necessaria quae suo personali usui conceduntur, secum defert libros vel alia bona mobilia Collegii a quo discedit, etiamsi ipsemet istius Collegii hucusque Superior fuerit; nam eius auctoritas tunc saltem cessat, et aliunde Superiores locales nequeunt, sine Superiorum maiorum concessu, bona notabilia sui Collegii in favorem alterius alienare.

Eodem modo delinquit Prelatus qui, praeter ius a Superiore maiori vel a statutis Ordinis sibi concessum, propria auctoritate destruit, immutat, construit aedificia, hoc fretus praetextu, quod id conferat ad Collegii utilitatem, et expensae ad id necessariae fiant pecunia sibi ab extraneis oblata.

Denique, votum paupertatis laedit Religiosus qui, absque licentia, libros aliaque mobilia sui Collegii extraneis commodat; vel res communes, quas ex officio administrat, ad propria commoda adhibet, aut in eleemosynam elargitur; vel rem cum *praesumpta* licentia acceptam occulte retinet, quin opportuno tempore licentiam *expressam* obtineat; vel accipit sine Praepositi Generalis licentia pecuniae summam pro fundando, post obitum oblatoris, legatum cum onere Missarum aut sacrarum functionum.

65.- De livellis, peculio et vita communi perfecta.

Livella, seu census vitalitii, dummodo Religioso constituantur de Superiorum consensu, et, si agatur de proventibus magni momenti et Religioso titulari superfluis, cum licentia Sedis Apostolicae, non opponuntur religiosae paupertati; sed proventus illi omnes Monasterio acquiruntur et debent cum pecunia communi confundi, nisi Superiores, iusta ac rationabili de causa, aliter disponant; et tunc si alicui concedant *usum* sui livelli, hic usus aequivalet *peculio* de quo mox dicemus.

Livellum sequitur Religiosum titularem quoties hic novo Collegio adscribitur, vel si transeat ad aliam Religionem, aut Breve saecularizationis obtineat, nisi ipse aliter disposuerit antequam vota nuncuparet, aut, si agatur de solemniter professo ad aliam eiusdem Ordinis domum translato, aliter Superior Generalis decernat.

Peculium ad usum privatum alicuius Religiosi reservatum, si de *usu iuris* seu independenti sermo sit, opponitur omnino voto paupertatis; si vero agatur de *usu facti* et dependenti, seu ad nutum Superiorum revocabili, opponitur quidem perfectioni paupertatis nec non menti, sin Decreti Tridentini, saltem Clementini superius allati (§ 63,) atque hortationibus Summorum Pontificum, praesertim Pii IX: attamen a S. Sede toleratur in iis Conventibus seu Monasteriis in quibus cum Superiorum venia ex consuetudine inductum est ob Conventus seu Monasterii paupertatem, vel etiam ob Superiorum incuriam providendi omnibus necessaria. Sic Pius VII die 22 Augusti 1814 decretum probavit quo S. Congregatio EE. et RR., excitans Superiores Gene-

rales ad instaurandas Religiosas Familias a Napoleone I suppressas, praecipiebat vitam communem *perfectam* retinendam esse ubi antea vigebat; in reliquis autem domibus inducendam esse vitam communem in iis quae victum, vestitum, medicinalia et itinera iussu Superiorum suscepta respiciunt; quoad *livella* vero et *peculia*, ea esse in commune aerarium inferenda, sed ex iis subministrari posse exhibitori quantum religiosae eius necessitates (status valetudinis laborumque ratione habita) expostulare videbuntur. Decretum autem sic prosequebatur: « Ut vero omnis tollatur occasio querendi de Superiorum severitate et arbitrio, qui non satis suorum subditorum necessitatibus prospicere videantur, decernit S. Congregatio quod si forte agatur de erogandis pecuniis in commune aerarium a Religiosis illatis, non in Religiosorum qui attulerunt commodum, sed in alios usus, nihil ea de re constituere Superiori liceat absque consilio, imo et consensu, duorum ex tribus partibus Capituli [1] ». Equidem huiusmodi dispositiones ad statum extraordinariae paupertatis Ordinum instaurandorum referebantur; attamen deinceps, licet plures restrictiones huic decreto adiectae fuerint, nunquam a S. Sede absolute vetitus fuit usus privati peculii; adeoque, ubi adhuc ex legitima consuetudine viget, potest tolerari, his tamen conditionibus:

1° Usus peculii debet esse a Superiorum nutu dependens.

2° Introduci nequit peculium ubi viget perfecta vita communis [2].

3° Cessare debet, si Superiores vitam communem

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 48; II, p. 44, n. X.

[2] S. Ligor. l. IV, n. 40.

perfectam introducere velint [1]; secus enim iam esset usus iuris seu independens.

4° Pecunia, excepta parva quantitate ad quotidianos usus a Superiore concessa, servari debet in communi arca [2].

5° Perfecta vita communis praescribitur in omnibus Domibus novitiatus; et ad illam tenentur omnes Religiosi illarum Domorum, non obstante quocumque praecedenti indulto, privilegio et exceptione [3].

6° Perfecta observantia Constitutionum Ordinis circa paupertatem (adeoque etiam perfecta vita communis, si ab ipsis Constitutionibus praescribatur) instaurari debet in Domibus Professorii, educationis et studiorum neo-professorum [4].

7° Superiores Generales pro viribus efficiant ut in omnibus Conventibus seu Domibus Religiosis *plena* Regularum et Constitutionum observantia (adeoque etiam circa paupertatem) instauretur [5].

8° Religiosi, qui sponte et professi sunt et observant vitam communem perfectam, nequeunt a Superioribus pro libito transferri in Domos ubi talis vita minime viget. Si vero gravis aliqua causa occurrat eos transferendi, recurratur ad S. Congregationem pro *temporanea* translatione; et qui sic *provisorie* transfertur, cogi potest ad vitam communem capessendam; quod si *non provisorie*, ad illam tamen exhortandus est.

[1] Bucceroni, vol. II. n. 288.

[2] Encyclica S. C. EE. et RR. iussu Pii IX d. 22 April. 1852 ed. *Collectan.* ed. I, pag. 903; II, pag. 852.

[3] Ib.

[4] Ib.

[5] Ib.

Superiores vero maiores nequeunt sibi eligere pro sua residentia Domum ubi observatur vita communis, nisi et ipsi hanc communem vitam profiteantur [1].

Quoad nos, Constitutiones nostrae *peculium* excludunt et vitam communem perfectam evidenter supponunt, dum expressis verbis praescribunt omnia inter nos esse debere *omnino, et statim ac acquirantur, communia*, atque obtestantur in visceribus Christi Superiores ut sedulo invigilent *ne paupertatis et communis vitae puritas quoquo modo violetur* [2].

Praeterea, Alexander VII per decretum diei 20 Martii 1655 praescribit ut nostri Novitii ad professionem non admittantur nisi *sub exacta vita communi ad praescriptum Regulae, non obstante quavis laxiori consuetudine, seu potius corruptela, servataque forma Sacrorum Canonum Concilii Tridentini et Constitutionum Apostolicarum, ac praecipue Decretorum s. m. Clementis VIII, nec non... Statutorum Ordinis.*

Loquens autem de nostris Collegiis primi et secundi Novitiatus, addit: « Praecipue vero caveatur ne ibi ponatur aliquis qui non consentiat servare vitam communem, *quae in praefatis Collegiis ad Regulae praescriptum exacte observetur;* indeque amoveantur qui tam sanctae *ordinationi* contradicere aut quovis modo se opponere ausi fuerint: alioquin poenas in memoratis Decretis Clementis VIII fel. record. statutas se subituros, ac novas licentias recipiendi Novitios nequaquam fore impetraturos, certo sciant [3].

Denique, ab anno 1848 Clerici nostri, statim post

[1] Decr. Pii IX, d. 1 Oct. 1852, pro Congr. Somascha. *Collectan.* l. c.

[2] Lib. II, c. 3,

[3] Bullar. n. pag. 73-75.

emissa vota solemnia, voce et scripto promittere tenentur se vitam *perfecte* communem nedum servaturos, sed et operam daturos ut ubique instauretur atque ab omnibus in Congregatione servetur. Quam quidem promissionis formulam Pius IX die 18 Ianuarii 1848 approbavit confirmavitque, *praecipiens* ut ab omnibus Novitiis Clericis post professionem solemnem emittatur. *Mandavit* quoque in eodem decreto Superioribus et Magistris Novitiorum ut Novitii, tirocinii tempore, de dicta promissione deque illius *vi, praesertim* quoad ea quae *perfectionem paupertatis* respiciunt (nam praefata promissio extenditur quoque ad regularem observantiam in genere) sedulo diligenterque instruantur [1].

66. - De paupertate prout est virtus.

Virtus paupertatis latius patet quam votum: hoc enim solos Religiosos obligat, et quidem, pro solemniter professis *proprium,* pro omnibus *usum iuris* seu *independentem* tantum excludit; illa, in quantum excludit *affectum inordinatum* ad bona temporalia, obligat quoque saeculares; a Regularibus vero excludit, non solum *usum iuris,* sed etiam usum *immoderatum* seu *superfluum* rerum, licet dependentem; excludit nempe illas commoditates et superfluitates quae, licet a Praelatis facilius forte permittantur, Regulis tamen et Constitutionibus Ordinis repugnant, saecularibus scandalum praebent, et ab Ecclesia, ut vidimus (§ 63) reprobantur.

Perfectio autem istius virtutis in eo consistit ut,

[1] Bullar n. pag. 140.

stricte necessariis contenti, vitam *revera* pauperem, ad exemplum Christi et Sanctorum Religiosorum, sincero animo amplectamur, adeoque privationes redundantiae, viliora (in victu, vestitu, supellectili, habitatione etc.) melioribus praeferamus, et sic paupertati affectivae effectivam iungamus. Beati, certe, sunt pauperes *spiritu,* sed beatiores qui *spiritu* et *re* pauperes ob amorem Iesu Christi efficiuntur.

67. - De paupertate prout respicit Communitatem.

Ordines quos *possidentes* vocant habent quidem ius possidendi in communi, sed ipsa Communitas observare tenetur evangelicam paupertatem iuxta Ordinis Constitutiones ac Regulas; ita ut in rerum copia, qualitate et usu ea simplicitas ac moderatio servetur quae a familiis pauperibus, vel saltem minime abundantibus, in saeculo adhiberi solet.

Hinc Apostolica Sedes *superflua* Regularibus prohibet (§ 63, n. II)); prohibet insuper *convivia* limites religiosae decentiae excedentia, etiamsi pro recipiendis Benefactoribus et Protectoribus Ordinis parentur [1]; prohibet denique profanas *munerum largitiones,* de quibus in sequenti paragrapho.

Constitutiones vero nostrae vetant, *etiam in iis quae communiter habentur,* quidquid *superfluum, inane, delicias praeseferens, pretiosum, amplum et magnificum,* vel *nimio artificio elaboratum* sit, tum in aedibus urbanis, tum in rusticis, *etiamsi hospitum recipiendorum nomine faciendum dicatur, aut ad pietatem excitandam.* Verbo,

[1] Const. *Religiosae* Clem. VII, et Decr. *Nuper* Urbani VIII. — *Compend.* pag. 14-19.

id omne arcendum esse praescribunt quod homines divites et abundantes in saeculo, potius quam pauperes Christi, redoleat [1]. Imo praescribunt *ut... in rebus communibus quocumque modo curandis, quantum possunt* (Sodales nostri) *moderate se gerant; itemque in necessitatibus Collegiorum, cum ita opus est, alicui significandis* [2].

68. - De munerum largitionibus.

Merito S. Sedes prohibuit Regularibus munerum largitiones, etiamsi a Superiore cum Capituli sui consensu fiant, exceptis levioribus esculentis et poculentis, exceptis quoque muneribus elargiendis ex causis gratitudinis, vel conciliandae et conservandae benevolentiae erga Religionem vel Conventum, *aliisve causis ex sua natura actum virtutis et meriti continentibus*, dummodo id fiat *modeste, discrete ac de Superiorum localium licentia, atque etiam cum consensu maioris partis Conventus si talis consensus* de iure vel ex Constitutionibus seu consuetudine cuiusque Religionis respective in huiusmodi casibus *requiratur*. Munera vero ut supra prohibita, si quae a Regularibus fiant, saltem in Communitatibus in quibus emittuntur vota solemnia, debent a susceptoribus restitui Conventibus ad quos de iure pertinent, si id commode fieri poterit; alias, Conventui eiusdem Ordinis viciniori restituantur [3].

[1] Const. l. II, c. 3.

[2] l. c.

[3] Const. *Religiosae* et Decr. *Nuper*, l. c.

CAPUT IX

DE CASTITATE ET CLAUSURA.

Summarium — 69. De castitatis voto et perfectione. — 70. De clausura regulari.

69. - De castitatis voto et perfectione.

Castitas, quae ante professionem religiosam, seu ante votum, ad solam virtutem *temperantiae* pertinebat, post emissum votum pertinet quoque ad virtutem *religionis;* et sic illius violatio ex parte Regularium duplicem continet malitiae speciem, luxuriae scilicet et sacrilegii.

Hoc duplex peccatum est ex genere suo mortale, quamquam in individuo seu subiective possit esse veniale, non quidem ratione materiae, quae in venereis semper est gravis, sed ex imperfectione actus, deliberationis nempe et consensus.

« Si non spectes nisi institutionem et acceptationem Ecclesiae, votum castitatis refertur tantum *ad externa;* sed hoc votum eodem fit modo in Religione ac extra illam, adeoque afficit quoque *actus internos* » [1].

Iamvero votum istud, sive simplex sit sive solemne, *impedit* matrimonium: differentia tantum est quoad *validitatem* actuum; dum enim votum solemne *irritat anteriora* sponsalia et *antecedens* matrimonium ratum

[1] Bucceroni, vol. II, n. 301.

et non consummatum, id non efficit votum simplex; praeterea, cum matrimonium *subsequens* sit *illicitum* cum voto simplici, est insuper *invalidum* seu *irritum* cum voto solemni. Sponsalia vero *posteriora,* scilicet post votum facta, utpote promissiones inhonestae, sunt cum utroque voto *invalida.*

Itaque qui post votum solemne castitatis matrimonium inire praesumeret, concubinarius, non coniugatus, evaderet; et quoties cum comparte rem haberet, peccaret simul contra religionem et contra castitatem. Qui vero matrimonium contraheret post emissum votum castitatis simplex, valide quidem, sed illicite contraheret, et quoties matrimonio uteretur, toties peccaret, non contra virtutem, sed contra votum castitatis.

Sed quid si coniugatus, emisso in Religione voto castitatis, iuxta dicta in paragrapho 26, ad uxorem redeat? Si post matrimonium ratum et non consummatum emiserat votum castitatis *solemne,* solutus est a vinculo matrimoniali, adeoque, matrimonium illud consummare praesumens, peccat non solum contra votum, sed etiam contra virtutem castitatis. Si autem votum illud solemne emisit post matrimonium ratum et consummatum, non solvitur a vinculo matrimoniali, ideoque, rem denuo habens cum coniuge, peccat contra votum, minime vero contra virtutem castitatis; quod quidem dicendum est etiam de coniugato qui (sive consummaverit, sive non, praecedens matrimonium) post emissum votum castitatis *simplex* matrimonio utitur, nisi prius a S. Sede dispensationem a voto obtinuerit.

Ex dictis patet posse aliquando violari votum, quin violetur virtus castitatis; sed quoties a Religioso virtus illa violatur, toties violari et votum.

Perfectio tamen virtutis latius patet quam votum castitatis; quia istud obligat tantum ad vitanda venerea et impedit matrimonium, illa exigit a Regulari actus qui non praecepti sed consilii sunt, v. gr. *rigidiorem* carnis sensuumque mortificationem; et retrahit ab imperfectionibus quae non sunt per se peccata, v. gr. ab oblectamentis mere sensibilibus licet non sensualibus. Iamvero si *perfectionem* huius virtutis prosequamur, facilius *essentialia* servabimus; dum, e converso, *qui spernit modica, paulatim decidet* [1]; qui scilicet imperfectionibus indulget, facile, instante periculo et urgente tentatione, in peccatum illabitur. Hinc Constitutiones nostrae haec sapienter praescribunt: « Summa diligentia fratres nostri aditus omnes praecludere debent, quibus ad huius virtutis candorem vel leviter maculandum daemonum malitia ingredi possit: corda, oculi, aures oraque ita ab eis custodienda erunt, ut neque haec labem aliquam contrahant, neque maiori malo occasionem praebere possint. Mulierum collocutionibus, extra Poenitentiae Sacramentum, quam maxime possunt abstineant. Pariter, nisi necessitas vel gravis causa urgeat, eas domi ne conveniant, maxime non consanguineas; quod cum evenerit, socius sit praesens; etiamsi, modo commode fieri possit, Sacramentum Poenitentiae administrandum sit; cubiculi certe ostium eo casu pateat [2].

70. - De clausura regulari.

Inter media ab Ecclesia Regularibus praescripta ad castitatis custodiam praecipuum locum obtinet clau-

[1] Eccli. XIX, 1.

[2] L. II, c. 2.

sura. Haec, *formaliter* sumpta, est lex prohibens Regularibus e propriis claustris egressum; extraneis vero ingressum intra illa, exceptis casibus a iure determinatis: *materialiter* vero accepta, consistit in toto illo spatio clauso quod, sub nomine Monasterii vel Conventus, Regularium habitationi et usui exclusive destinatur, adeoque ita septum et clausum est, ut, secluso dolo et vi, illuc accedi, illinc exiri nequeat, nisi per ianuas habitualiter clausas atque a Regularibus ipsis caute custoditas.

Hinc, in clausura regulari non comprehenduntur

1° publica Ecclesia, vel publicum Oratorium;

2° Sacrarium, seu Sacristia, si ad illam pateat accessus extra clausuram;

3° illae Monasterii seu Conventus partes, quae extraneis utriusque sexus excipiendis reservantur et *collocutoria* vocantur, nec non loca iis adnexa, quae non habent cum habitatione Regularium liberam communicationem;

4° viridaria, prata, praedia omnia a Conventu saltem per altum murum separata, cum ingressu extra claustra; dummodo, si quam habent communicationem cum claustris, haec ordinarie clausa maneat clavi a Superiore custodienda;

5° aedificia imperfecta, in quibus nondum vigeat rigor observantiae regularis, licet iam aliqui Religiosi illic ad constructionis opera dirigenda et ad reliquorum habitationem aptandam commorentur;

6° loca ephebis instituendis, hospitibus recipiendis, aut infirmis Ordini extraneis curandis reservata;

7° villae ac domus rusticae, quamvis Religiosi illuc se aliquando conferant, recreationis vel villicationis gratia.

Non excluduntur tamen a lege clausurae parvi Conventus regulariter et canonice constituti, ubi tres saltem Religiosi semper regulariter degunt, Regulam sicut in ceteris sui Ordinis Conventibus sequuntur, atque publicam Ecclesiam seu Oratorium habent.

Clausura dicitur *papalis* seu *pontificia* si a Summo Pontifice, per decretum S. Congregationis EE. et RR., stabiliatur; *episcopalis* vero, si ab Ordinario loci constituatur; ab illa solus Summus Pontifex, ab ista Ordinarius dispensare potest.

Clausura *papalis* existit tantum pro Religionibus formalibus, exceptis rarissimis casibus in quibus conceditur etiam Monasteriis vota solemnia non habentibus [1]; nam ordinarie in Congregationibus et Institutis votorum simplicium clausura aut non constituitur, aut a Regula vel ab Ordinario tantum stabilitur.

Vi clausurae papalis Sanctimoniales nequeunt a claustris Monasterii egredi, nisi de speciali Apostolicae Sedis licentia, aut gravissimo praesente periculo, et tunc cum licentia scripta Ordinarii loci, ac insuper Praelati Regularis cui forte Monasterium subiicitur, si tempus adest talem licentiam expectandi. Gravissimum illud periculum instaret, si magnum incendium in Monasterio excitatum fuisset, vel si pestis ibidem saeviret, vel si ob barbarum bellum, ob violentam ac pergrandem inundationem vel ob aliam similem causam Monasterio ruina et Monialibus mors immineret.

In aliis casibus egressus a Monasterio, absque Apostolico indulto, Monialibus vetatur sub poena excommunicationis maioris latae sententiae, nec non priva-

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 96; II, pag. 88.

tionis officiorum ac inhabilitatis ad illa; quibus poenis ipso facto subiiciuntur quoque omnes cooperantes tali illicito egressui, licet sint Episcopi vel Praelati.

Praeterea, exceptis quibusdam personis ab Apostolica Sede privilegiatis, nec non Episcopo loci, Confessario, medico et operariis, in casibus a iure determinatis, cuilibet, sub poena excommunicationis Papae reservatae, prohibetur ingressus intra claustra dictarum Monialium, nisi ex speciali Sedis Apostolicae venia; quam excommunicationem, cum aliis quoque poenis, incurrunt etiam Abbatissae et Superiores Monasterii tali illicito ingressui cooperantes.

Eadem S. Sedis licentia requiritur ut in Monasterio commorentur puellae educandae, famulae saeculares, et mulieres quas *pensionarias* vocant.

Episcopi, in propria Dioecesi, est tueri clausuram Monialium, non exemptarum quidem iure ordinario, exemptarum vero ex delegatione Apostolicae Sedis.

Generatim autem Moniales habentes vota solemnia semper pontificiae clausurae subduntur, nisi aliquod Monasterium ab hac lege forte a S. Sede dispensetur [1].

Quoad pontificiam Sanctimonialium clausuram duo adiicere iuvat, quae Religiosos quoque viros respiciunt. Et primo, Sacerdos Regularis Monialium clausuram ad audiendam confessionem infirmae ingrediens, debet comitari a socio probatae vitae et maturae aetatis atque a duabus Monialibus, quae sistere debent extra ianuam cellae ubi degit aegrota, ita tamen ut Confessarium videre possint. Secundo, dum saecularibus sive clericis sive laicis (exceptis propinquis primi et secundi gradus,

[1] Cf. De Angelis, t. II, part. II, pag. 187 seqq.

exceptis quoque pauperibus victum sibi mendicantibus, famulis item munera ex parte suorum dominorum afferentibus, nec non Confessariis ipsius Monasterii) prohibetur tantum *frequens accessus ad crates* ut Moniales invisant et alloquantur, nisi ad eas accedant *ex rationabili causa et ex speciali licentia* [1], Regulares viri neque ob sanctissimam causam nec semel possunt eas adire, vel earum novitias aut alumnas in Monasterio educandas, *nisi de licentia Ordinarii,* subscribenda etiam a Praelato regulari, si Monasterium illi subdatur; idque eis vetatur sub poena privationis dignitatum et officiorum, nec non inhabilitatis ad audiendas confessiones; quas quidem poenas *ipso facto* incurrunt, si Moniales *frequentare* praesumant. Haec autem licentia ab Ordinario concedi nequit nisi *quater tantum in anno,* et quidem Regularibus viris Monialium invisendarum *in primo vel secundo gradu consanguineis,* exclusis diebus festis, Adventu, Quadragesima, sextis feriis, sabbatis et Vigiliis. Debet insuper dari *scripto* pro certa die et hora, consignari Confessario ordinario Monasterii, qui tenetur, sicut *Auscultatrices* consuetae, assistere collocutioni [2]. Hodie tamen multis in locis consuetudo invaluit apud Ordinarios concedendi huiusmodi licentia sine tot restrictionibus; extra Italiam vero lex illa vel nunquam fuit promulgata vel in desuetudinem decidit, et in ipsa Italia, extra Romam, probabilius ab ea excipitur collocutio cum Abbatissa. Manet tamen lex naturalis vetans inanes, otiosas ac periculosas conversationes.

[1] Cf. Bucceroni, vol. II, n. 1189.

[2] S. C. EE. et RR. sub Urbano VIII, XIII kal. Sept. 1623. — *Collectan.* ed. I, pag. 24 et 485; II, pag. 22 et 438.

Nunc *de clausura papali pro Religiosis viris votis solemnibus adstrictis.*

Duo hac de re observanda sunt. 1° Religiosi nequeunt a Conventu abesse nisi ex Praelati licentia; et dum exeunt debent, quantum fieri potest, habere comitem ab eo assignatum. Si quis absque licentia saepius et cum scandalo exiret, vel etiam semel sed noctu et furtive, graviter peccaret. Superiores autem non possunt concedere subditis licentiam commorandi extra claustra ad notabile tempus, puta ultra duos menses, ut nobis olim declaravit Secretarius S. Congregationis EE. et RR.; itaque tunc ad hanc S. Congregationem recurrendum est, si gravis et rationabilis causa id suadeat [1]. 2° Lex Ecclesiae prohibet ne mulieres ingrediantur claustra Religiosorum virorum. Excipiuntur Imperatrices et Reginae catholicae, earumque filiae, et mulieres eas comitantes, nec non Fundatrices Conventuum si habeant indultum Apostolicum in forma legitima Ordinariis ostensum, ut requirit Benedictus XIV in sua Constitutione *Regularis Disciplinae,* diei 3 Ianuarii 1742. Iamvero in Bulla *Apostolicae Sedis,* inter excommunicationes latae sententiae Summo Pontifici reservatas, sub art. VII, haec adnumeratur quae plectit « Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosque eas admittentes », nempe omnes Religiosos active influentes in talem mulierum ingressum, ut invitantes, consulentes, hortantes, ianuam ad hoc aperientes, recipientes, reducentes (non tamen expellentes), permissionem auctoritative concedentes etc. [2].

[1] Cf. Const. *Nullus* Clem. VIII, et decretum S. C. sub Urbano VIII edit. — *Compend.* pag. 23, nn. 19 et 32.

[2] Cf. Ferraris, *Bibliot.* verbo *Conventus,* art. 3, n. 30.

Quoad viros, licet eos in clausuram Regularium virorum admittere, dummodo ex honesto fine, cum prudenti moderatione et sine Religiosorum dissipatione, fiat. Attamen, sine speciali S. Sedis indulto, admitti nequeunt ad habitandum adeoque ad cubandum intra clausuram, neque ut hospites, neque ut Postulantes, neque sub alio quovis praetextu, adolescentes qui vigesimum aetatis annum non excesserint, iis exceptis qui ut futuri Clerici, post completum annum decimum quintum, in Congregationem recepti fuerint [1].

Denique, cum clausura pontificia per decretum Apostolicae Sedis constituatur, sequitur eam non habere locum in Collegiis quae, deficiente publico Oratorio, vel titulo proprietatis aut saltem stabilitatis in usu aedificii, vel alia de causa, *institutionem canonicam* non habent. Praelati autem regularis, Generalis aut Provincialis, est designare terminos *materialis* clausurae, ita tamen ut in illa omnino includantur cellae Religiosorum, dormitoria, coenaculum, aliaque loca quae Communitati exclusive inserviunt. Praelati item munus est statuere tempus, in quo pro novo Conventu, vel pro veteri recens ampliato, *formalis* clausura obligare incipiat.

Ad custodiam clausurae eligi debet ianitor vigilans et probatae vitae. Praestat vero verbum *Clausura* ante aut supra ianuas clausurae ipsius patentibus litteris scribere.

Ubi autem clausura papalis constituta non fuerit, clausura a Regula, a consuetudine Ordinis, a Superio-

[1] S. C. sup. Stat. Reg. 16 Maii 1675. *Collectan.* ed. I, pag. 305; II pag. 274.

rum praescripto et ab ipsa naturali prudentia determinanda erit. Sane etiam in Collegiis adolescentibus instituendis destinatis, a Regularium cellis aliisque locis Communitati exclusive reservatis, mulieres omnino arcere decet.

CAPUT X

DE OBEDIENTIA ET REGULARI OBSERVANTIA.

Summarium. — 71. De obedientiae voto ac virtute. — 72. De obligatione servandi regulam. — 73. De causis ab observatione regulae excusantibus.

71. - De obedientiae voto ac virtute.

Sicut in paupertate et in castitate, ita et in religiosa obedientia oportet distinguere votum inter et virtutem, haec enim ad plura se extendit quam illud; siquidem votum pro obiecto habet *externam* executionem voluntatis Praelati, quamquam etiam actu interno violari possit, scilicet per interius propositum detrectandi externam obedientiam, quin tamen Superior possit praecipere actus internos; virtus autem exigit insuper et semper *internam* submissionem. Praeterea, votum obligat tantum ad exequenda *formalia praecepta* Superiorum; virtus inducit etiam ad implendum quidquid Superior se velle quomodocumque manifestat, sive per *simplices praescriptiones*, sive per *consilia, hortationes* et *preces*. Votum obligat ad parendum *Praelatis*, seu Superioribus proprie dictis; virtus suadet quoque obedire *officialibus subalternis*, qui iurisdictionem non habent. Denique violans votum, *religionem* simul et *iustitiam* laedit; violans virtutem, laedit tantum *iusti-*

tiam. Unde quoties violatur votum, violatur et virtus; at non vicissim.

His praemissis, de obedientiae *voto* in primis loquamur.

Votum obedientiae pariter obligat sive simplex sit sive solemne, etsi, quoad effectus iuridicos, unum ab alio differat, ut alibi notavimus (§ 6).

Vi voti obedientiae Regularis parere tenetur proprio ac legitimo Praelato praecipienti secundum regulam et constitutiones Ordinis.

Diximus: *proprio ac legitimo Praelato,* idest Superiori proprie dicto, non simplici *Dignitario* (ut sunt Assistentes, Procurator et Visitatores Generales), nec *officiali subalterno*, nec Praelato *intruso*, nec Praeposito *alterius Conventus vel Provinciae*. Diximus: *praecipienti*, idest manifestanti voluntatem obligandi, quod communiter fit cum aliquid praecipitur *in nomine Dei,* vel *in virtute sanctae obedientiae,* vel sub comminatione excommunicationis aut alterius gravissimae poenae: apud nos vero quando fit a Praeposito Generali eiusque Consultatione, vel a Delegato ab ipsis, *praeceptum formale*, scripto quidem et forma a Constitutionibus nostris (l. I., c. 1) praescripta. Diximus tandem: *praecipienti secundum regulam et constitutiones Ordinis*, idest ea tantum praecipienti, quae saltem *implicite* vel *indirecte* in illis *continentur*, aut ad illas *reducuntur* sicut consequentiae ad principia, vel ut media ad finem; v. gr. poenae contra delinquentes, certa horarum ac munerum distributio, et quidquid ad officia Communitatis rite obeunda conferre potest.

Itaque in primis neque Praelatus praecipere, neque subditus exequi potest quae sunt *manifeste illicita*, ut

mentiri, iustitiam in favorem Collegii laedere, falsis dogmatibus subscribere, scandalo pusillorum operam praestare, aliaque id genus Dei aut Ecclesiae legibus contraria. Diximus « *manifeste* illicita »: nam *in dubiis* praesumptio favet Superiori; eo vel magis quod si Religiosi scrupulis obsecundantes aut durae cervicis possent Praelato resistere quoties praecepti *liceitas* illis dubia videretur, saepe saepius sub tali praetextu ordo religiosae familiae graviter perturbaretur.

Nec item urget votum obedientiae si Superior praecipiat subditis quae illis sunt *fere impossibilia* aut *graviter damnosa*, velut publice concionari aut longa itinera suscipere in statu gravis infirmitatis, aut gravem calumniam et consequentem infamiam nullo modo repellere, et similia. Sed hic quoque cavendum est ne subditi sibi illudant, ut impossibilia vel graviter nociva considerando quae talia revera non sunt.

Denique, votum obedientiae non obligat si Superior aliquid praecipiat *contra* aut *supra* aut *omnino praeter regulam;* eius enim auctoritas non est absoluta, sed ad regulae auctoritatem tuendam promovendamque ordinata, adeoque intra regulae limites exercenda (cf. § 104). Posset tamen *dispensationem* ab aliqua regula, gravi de causa, sub praecepto imponere subdito scrupuloso et obstinato, puta ob istius infirmitatem; quia tunc regula ipsa confert Praelato ius dispensandi, adeoque dispensatio, cum necessaria vel saltem valde conveniens appareat, est potius secundum regulam, quam contra illam.

Contra regulam vero apud nos praeciperet Praelatus, si aliquem *obligare* vellet ad suscipiendam curam alicuius Paroeciae, Seminarii, Monasterii, Socie-

tatis, vel administrationem alicuius familiae, vel munus publice docendi in Scholis Congregationi extraneis, vel alia quae nobis a Constitutionibus nostris vetantur (cf. § 12).

Supra regulam esset *obligare* nostros ad sustinendas austeritates rigidiorum Ordinum, vel ad inserviendum infirmis, praesertim epidemicis, in publicis nosocomiis etc.

Praeter vel *extra* regulam ageret apud nos Praelatus, si alicui *praeciperet* evangelizationem infidelium in barbaris regionibus, vel ei *imponeret* dissitas terras explorare ad scopum scientificum, vel extra nostra Collegia dirigere speculam astronomicam, vel similia.

Postremo loco quaeri potest quandonam votum obedientiae obliget *sub gravi;* cui quidem quaestioni respondemus votum illud graviter obligare quoties gravis est materia praecepti; Superiores autem nil debere *formaliter praecipere,* nisi, attentis circumstantiis, de re magni momenti agatur. Attamen inobedientia, aliunde levis, potest gravis evadere ratione contemptus, vel scandali, vel alterius adiuncti.

Nunc ad *virtutem* obedientiae gressum facientes, eam consistere asserimus in plena conformitate voluntatis et actionum subditi cum voluntate Superiorum quomodocumque manifestata, dummodo non sit *contra* regulam, nec circa manifeste illicita versetur. Exinde liquet obedientiam mere exteriorem non esse virtutem.

Iamvero haec virtus aliquando *obligat,* aliquando *suadet* tantum et *consulit;* illud ad *essentiam* obedientiae, hoc ad eius *perfectionem* pertinet.

Obligat 1° quoties urget votum, et tunc probabiliter inobedientia continet duplicem malitiam, votum enim

obedientiae addit novam obligationem illi quam quisque habet obediendi suo legitimo Superiori; sicut si servus aut filius familias voverit obedire domino aut patri, inobediendo duplex peccatum committeret, unum inobedientiae, aliud sacrilegii [1];

2°, sub levi, quoties Superior, quamvis non praecipiat formaliter, intendit tamen obligare, velut si dicat: *mando, iubeo;* tum quia utendo his terminis non censetur tantum suadere et consulere, sed aliquo modo suam voluntatem imponere; tum quia ipsa ratio regularis disciplinae exigit ut inferior obtemperet suo legitimo Superiori etiamsi praeceptum absolutum non urgeat. Si tamen mandatum a Superiore toti Communitati fiat, ipse non censetur velle obligare ad culpam, sed tantum sub poena et correctione regulari, quo modo ipsae regulae obligare solent [2].

Diximus virtutem obedientiae obligare *sub levi* quoties Superior intendit quidem obligare, sed praeceptum absolutum et formale iubendo non exprimit; at meminisse iuvat quod superius innuimus, nempe inobedientiam per se levem posse gravem evadere ratione adiunctorum, v. gr. contemptus vel scandali.

Suadet et consulit lex obedientiae, in quantum est virtus, quoties Praelatus subditum hortatur ad aliquid agendum, non tamen contra regulam, ad maiorem Dei gloriam, et ad proximorum vel Sodalitatis utilitatem, vel ad ipsius subditi spiritualem profectum. « Si aliqua sunt, ait D. Thomas, quae nullatenus ad regulam reducantur, videtur esse verior opinio quod obedire in

[1] Billuart, *De Stat. Relig.* Diss. I, art. 6.

[2] Ib.

huiusmodi non sit de necessitate obedientiae, sed de *perfectione* » [1].

At potestne Regularis contra Superiorum iussa vel praecepta recurrere ad Apostolicam Sedem? Potest, procul dubio, sed interim tenetur obedire. Hinc S. Congregatio, die 6 Iulii 1750, mandavit ut in recursibus Regularium adversus obedientiam Superiorum semper rescribatur: *pareant, et deinde recurrant* [2]. Circa Regularium *appellationes* cf. § 102 (in fine).

72. - De obligatione servandi regulam.

Religiosi votis observandis adstringuntur ex obligatione erga Deum suscepta, regulae vero ex pacto cum Religione inito. Sub regulae nomine hic comprehendimus etiam constitutiones, statuta, decreta generalia vim legis habentia.

Iamvero regula per se non obligat sub peccato, nisi id in ipsa regula expresse declaretur, vel nisi regula aliquid praescribat aut vetet in forma praecepti proprie dicti, v. gr. in nomine Dei, in virtute sanctae obedientiae, vel sub poena excommunicationis.

In antiquis Religionibus, ubi regula obligat sub peccato, non omnia ponuntur in ipsa regula sub praecepto, sed quaedam sunt monita et consilia; quae vim praeceptivam non habent [3]. In recentioribus autem Institutis, velut in nostro, regula nec sub gravi nec sub levi per se obligat. Potest tamen a Capitulo Generali pro Sodalitate universa edi decretum sub forma praecepti

[1] Quodlib. X, art. 10.

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 422; II, pag. 379.

[3] S. Th. 2. 2. q. 186, art. 9. — Quodlib. I, art. 20.

absoluti ac stricti, et tunc tale decretum obligat sub peccato. Huiusmodi est decretum apud nos vigens quo *districte praecipitur in virtute sanctae obedientiae* singulis Collegiorum Procuratoribus, ut in reddenda menstrua vel bimestri ratione administrationis suae Superiori locali ac Discretis, semestri Praeposito Provinciali, et triennali Generalibus Comitiis, omnino sincere fideliterque se gerant.

Transgressio regulae *sub peccato obligantis* adversatur ipsi obedientiae voto; nam talis regula non est minus praeceptiva quam vox aut epistola Superioris aliquid formaliter praecipientis: at, e converso, transgressio regulae sub peccato *non obligantis* non est contra votum, quia Religiosus in hoc casu sese obligat per votum obedientiae ad obtemperandum Praelato secundum regulam praecipienti; non autem ad servandam regulam ipsam.

Sed enim 1° ex eo quod regula *per se* non obliget ad culpam, non sequitur omnes eius praescriptiones esse *mera consilia;* obligat enim ad poenam contra transgressores a Praelato inflictam, et habitualis eius transgressio posset etiam aliquando puniri per expulsionem; quod certe non accideret, si regula non contineret nisi mera consilia et hortationes. 2° Raro regula deliberate et absque legitima causa violatur, praesertim si transgressio frequens sit ac habitualis, quin transgressor aliquo modo peccet. Ratio est, quia licet per se regula non obliget ad culpam, obligat tamen alia aliqua lex, quae plerumque eodem tempore et actu violatur; quod quidem, ut docet D. Thomas, dupliciter accidere potest; *uno modo, ex parte operis*, cum scilicet aut *materia* regulae est simul materia alicuius

legis ad culpam obligantis (v. gr. cum regula inculcat essentialia votorum, vel aliquod praeceptum Dei sive Ecclesiae) aut accedunt *externae circumstantiae malae*, v. gr. scandalum vel aliud proximi damnum: *alio modo, ex parte operantis*, quando scilicet infractio regulae procedit ex pravo fine, vel ex inordinato affectu; *ex pravo fine*, nam etiam in rebus per se indifferentibus tenemur ex honesto fine agere, unde regulam violare sine rationabili et iusta causa non erit absque culpa; *ex inordinato affectu*, scilicet vel *ex contemptu* legis et legitimae auctoritatis, vel *ex odio* in Religionem aut in Religiosos regularis observantiae zelatores, vel *ex intemperantia*. In omnibus his casibus aderit peccatum, non quia violatur regula ad culpam non obligans, sed quia eodem tempore eodemque actu violatur aliqua lex ad culpam obligans, quaeque vel ea praecipit quae regula praescribit, vel prohibet effectus violationem regulae consequentes, aut causas ad regulae transgressionem inducentes.

Inter pravas causas quae inducere possunt ad transgressionem regulae adnumeravimus *contemptum;* at contra quosdam *rigoristas* adnotabimus contemptum non esse praesumendum ob simplicem *frequentiam* transgressionum, quia talis frequentia procedere potest ex fragilitate, ex desidia, ex impatientia, ex dissipatione, ex negligentia vel libidine [1], quin procedat ex contemptu, qui tumor superbiae est. « Tunc committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius *renuit subiici* ordinationi legis vel regulae, et *ex hoc* procedit ad faciendum contra legem aut regulam.

[1] S. Th. 2. 2. q. 186, art. 9.

Quando autem, ex converso, propter aliquam aliam causam, puta concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulae, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, *etiamsi frequenter ex eadem causa vel alia simili peccatum iteretur*... Frequentia tamen peccati *dispositionem* inducit ad contemptum, secundum illud Proverbiorum 18: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* » [1].

Ut autem contemptus sit *gravis*, debet esse *formalis*, puta quod quis renuat regulae subiici eo quod id sibi indecorum, attenta sua scientia vel dignitate, videatur.

Meminisse quoque iuvabit illum *graviter* peccare, qui de industria regulam transgreditur ut, cum magno suae aeternae salutis periculo, a Religione dimittatur; quia, vi suae professionis, ad perseverandum in statu religioso tenetur, saltem si vota *perpetua* emiserit, nisi gravi et iusta de causa a votis dispensetur, vel indultum vivendi extra claustra obtineat.

73. - De causis ab observatione regulae excusantibus.

Causae quae a regulae observatione excusant sunt:

1° *legitima dispensatio*, quam non licet a Superioribus extorquere eos decipiendo aut eis moralem inferendo violentiam; quamque ipsi concedere non debent nisi ob *rationabilem* causam, nec in perpetuum, nec, nisi *gravi* de causa, toti Communitati [2];

[1] S. Th. I. c. ad 3.

[2] Const. l. I, c. 1.

2° *impotentia* physica vel moralis; sed, si tantum moralis sit, quod scilicet regula observari nequeat nisi cum gravi incommodo, petenda est, si fieri possit, dispensatio, non praesumenda [1];

3° *legitima praescriptio,* quae tamen locum habere nequit circa regulas quae inculcant obligationes votorum, vel aliquod divinum aut ecclesiasticum praeceptum. In aliis casibus *consuetudo,* vel melius *desuetudo,* saltem quadraginta annorum, quae *nemine reclamante* perduraverit et *communis* effecta sit, contra regulam praescribit, quamquam ab initio absque necessitate et sine legitima Superiorum dispensatione introducta fuerit.

Possunt nihilominus Superiores, et quandoque debent, efficere ut regulae in desuetudinem delapsae denuo vigeant, et tunc subditi nequeunt contradicere, quia illi praecipiunt *secundum regulam.* Nec valet obiicere praescriptionem; nam vel desuetudo inducta fuerat a legitima auctoritate, et tunc eadem auctoritate potest auferri, cum ius dispensandi supponat ius revocandi dispensationem; vel desuetudo non fuerat legitime introducta, sed tantum a longo tempore nemine reclamante perdurat, et tunc, Superiore legitime tandem reclamante, cessare debet. Si secus esset, omnes regulae paulatim praescribi possent, et Praelati, qui ex proprio officio tenentur regularem observantiam promovere, medio ad hunc finem necessario privarentur.

Neque urgeant refractarii se professionem emisisse cum regularum observantia iam relaxata erat, nam in actu professionis acceptarunt regulam in genere, adeo-

[1] De dispensatione praesumpta idem dicendum est ac de praesumpta licentia, de qua § 62.

que etiam reformationem observantiae secundum regulam ipsam; acceptarunt insuper submissionem legitimae auctoritati praecipienti intra limites regulae; acceptarunt denique, saltem implicite, obligationem concurrendi ad commune bonum Religionis, quod a regulari observantia potissime pendere indubium est.

Religiosi autem qui professionem emiserunt ante desuetudinis praescriptionem, tenentur, saltem indirecte et per accidens, regulae observantiam fovere, ne eorum cooperatione et exemplo inobservantiae consuetudo firmetur et tractu temporis contra regulam praescribat; licet enim, positis adiunctis et conditionibus supra descriptis, consuetudo seu desuetudo praescribat contra regulam, qui tamen absque legitima causa ad hanc consuetudinem seu desuetudinem inducendam aut, ante praescriptionem, conservandam cooperantur, haud sunt venia digni, etiamsi Superiores culpabiliter sileant, vel etiam praebeant inobservantiae exemplum.

Ceterum circa debitum primitivae observantiae instaurandae alibi (§ 104) disserendum erit.

CAPUT XI

DE ALIIS REGULARIUM OBLIGATIONIBUS.

SUMMARIUM. — 74. De divino officio et choro. — 75. De obligatione deferendi habitum et tonsuram. — 76. De obligationibus negativis, circa arma, venationem, aleas, choreas, publica spectacula, negotiationem, venale exercitium, artes quasdam et officia saecularia.

74. - De divino officio et choro.

Alia est obligatio divini officii recitandi, alia obligatio illud recitandi *choraliter;* item, aliud praescribitur professis solemniter, aliud professis votorum simplicium. Primum de solemniter professis loquamur.

Regulares choro non destinati non tenentur recitare horas canonicas ante susceptum Subdiaconatus Ordinem. E converso, *in Religionibus choro adstrictis,* iuxta sententiam hodie communem et innixam consuetudini a saeculis praescriptae ac a Gregorio IX firmatae, Religiosi utriusque sexus (etiam nondum in sacris, si clerici sint), exclusis tamen Conversis, statim post professionem *solemnem* tenentur sub gravi ad horas canonicas recitandas, idque etiamsi profugi sint, vel suspensi, vel excommunicati, non tamen si ante Subdiaconatus susceptionem fuerint eiecti. Verumtamen, ex privilegio ab Innocentio IV concesso, possunt, nisi sint *in sacris,* huic obligationi satisfacere recitando

preces Conversorum (vel Conversarum, si de Monialibus agatur), quoties, Superiorum iudicio, adsit huiusmodi substitutionis faciendae rationabilis causa; velut si quis sit nimium ex recenti itinere vel ex habita concione lassus; vel si Monialis nimium scrupulis angatur, aut, iudicio Abbatissae sive Confessarii, haud satis legendi perita existimetur, aut nimium sit defatigata, vel aliis utilibus ministeriis irretita.

Possunt insuper Praelati Regulares, etiam inferioris ordinis, ut Praepositi locales, a recitatione divini officii, sive in choro sive extra chorum, dispensare subditos nondum in sacris Ordinibus constitutos, sive ratione studiorum, sive ex alia iusta causa.

De ceteris dispensationis causis, etiam pro iis qui sacris Ordinibus sunt initiati, loquemur cum sermo erit de Regularium privilegiis (§§ 92 et 101).

Iam *de professis votorum simplicium.* In Congregationibus et Institutis vota solemnia non habentibus, si a regula praescribatur recitatio horarum canonicarum vel parvi officii B. Mariae V., haec obligatio non urget sub peccato, nisi pro aliquibus aliter ex speciali iure constituatur, vel nisi agatur, quoad horas canonicas, de Clericis in sacris Ordinibus constitutis.

Denique *in Religionibus formalibus virorum,* Clerici qui vota solemnia nondum emiserunt, nec sunt initiati sacris Ordinibus, non tenentur ad recitationem *privatam* divini officii, sed, *ubi adest obligatio chori,* huic interesse debent sicut solemniter professi. Ita expresse declaravit Pius IX die 6 Augusti 1858.

Sanctimoniales *solemniter professae* tenentur *sub gravi* ad recitationem divini officii, si praescribatur a regula a S. Sede approbata, vel forte ex consuetudine;

minime vero illae, quarum Monasterium non habet nisi vota simplicia (S. C. 19 Apr. 1844) [1].

Nunc *de obligatione chori*. Ad divinum officium *choraliter* recitandum tenentur Religiones illae, quibus id regula ab Apostolica Sede approbata praescribit: aliquando tamen, ex speciali iure, v. gr. ex onere fundationis, possunt ad id obligari etiam aliae Sodalitates. Nos vero ab obligatione chori in perpetuum dispensavit Pius IX ab anno 1848, exceptis tamen Collegiis Novitiatus et Mediolanensi Collegio SS. Pauli et Barnabae.

Ubi igitur viget obligatio chori, haec observanda sunt:

1° Clerici solemniter professi, nondum *in sacris*, si iusta de causa choro non intervenerint, tenentur tamen, sub gravi, officium privatim recitare; nisi ad hac privata recitatione legitime dispensentur, ut superius diximus. Si autem nondum sint solemniter professi, nec *in sacris*, tenentur interesse choro, minime vero ad recitationem privatam.

2° Pro singulis Religiosis obligatio assistendi choro non est gravis, nisi ex eorum culpabili absentia chorus impediatur. Praelati vero graviter culpandi sunt, si, eorum negligentia, totius divini officii vel saltem partis eius notabilis, puta unius horae canonicae, recitatio choralis omittatur.

3° Paucitas Choristarum excusat Communitatem a choro; obligatio nempe chori cessat si non adsint ad minus quatuor choristae *idonei* et *expediti*, idest nec infirmi nec aliis necessariis aut saltem gravis momenti

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 546; II, pag. 495.

ministeriis irretiti. Inter quatuor autem praefatos choristas computari possunt etiam Novitii; at curandum est ut hebdomadarius sit semper Sacerdos, vel saltem Diaconus.

4° Licet recitatio horarum canonicarum in choro sit actus *publici* cultus, iusta tamen de causa possunt illae quandoque recitari in Sacrario seu Sacristia.

Denique de *modo, ordine* et *hora* divinum officium recitandi, sive publice sive privatim id fiat, pauca addere visum est.

Oportet igitur horas canonicas *reverenter, distincte devoteque* recitare, ut monet Concilium Tridentinum (sess. 24, *de Reform.* c. 12); adeoque nec incomposite; nec cum praecipitatione verborumque mutilatione; physice, non mentaliter tantum verba pronunciando; absque voluntaria spiritus dissipatione; verbo: *modo tam sanctae actioni convenienti;* secus enim cultus noster Deum ad iracundiam potius quam ad misericordiam excitabit.

Praeterea, divinum officium, pro Religiosis qui non habent ritum aut calendarium proprium, ordinandum est iuxta Calendarium Dioecesis, nisi ibi aliquando reperiatur error *manifestus* contra rubricas et decreta S. Sedis, prout pluries declaravit S. Rituum Congregatio [1].

Si quis tamen per errorem aliud officium recitaverit quam quod in Calendario praescribebatur, errore in eadem die detecto, non tenetur officium praescriptum recitare; valet enim in hoc casu officium pro officio: si tamen errorem detegat antequam omnes horas canonicas illius diei persolverit, horas quae supersunt recitet iuxta Calendarium.

[1] 27 Aug. 1836; 23 Febr. 1839.

Nota festum *Titularis* Ecclesiae Cathedralis a Regularibus celebrandum esse ritu *dupl. I. Clas. sine Octava;* et festum *Dedicationis* eiusdem Metropolitanae Ecclesiae ritu *dupl. II. Cl. sine Octava.* Ubi vero fit officium *Dedicationis omnium Ecclesiarum* Dioeceseos, non amplius fieri debet officium Dedicationis alicuius Ecclesiae particularis.

In privata recitatione licet invertere ordinem horarum canonicarum, dummodo adsit iusta et rationabilis causa; puta cum quis socio vel choro iungitur aliquam horam recitanti, dum ipse horam praecedentem nondum recitavit; vel si mane, Breviarium ad manum non habens, horas diurnas ante matutinum absolvat, cum nequeat commode expectare.

Insuper, qui ab integro officio recitando utcumque impeditur, si tamen valeat eius notabilem partem, v. gr. alteram horam, recitare, ad illam recitandam tenetur [1].

Quod si quis non valeat solus recitare horas canonicas, sed, sine incommodo vel dispendio, eas possit persolvere cum socio, socium adhibeat.

Relate ad horam recitandi Matutini cum Laudibus per anticipationem, haec ex cl. D'Annibale placet depromere: « Ex privilegio consuetudine introducto fas est recitare Matutinum et Laudes a vesperis diei praecedentis; idest, communius, ab ea hora quae est media inter meridiem et solis occasum. Recitari posse secunda hora post meridiem sententia est quam multi tuentur, multi non reprobant, multi probabilem putant; nec immerito, quia nullo certo iure scripto sive non

[1] Id constat ex prop. 54, ab Innoc. XI damn.

scripto explodi potest. Non sunt igitur inquietandi qui bona fide ab ea hora recitaverint Matutinum » [1].

Loquens autem de officio in choro cl. Auctor subdit: « Episcopi est permittere recitationem Matutini diei sequentis post Completorium et lapsam horam tertiam post meridiem » [2]. Iamvero quod potest Episcopus, potest, pro suis subditis, et Praelatus Regularis.

Denique, obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante Missam probabilius non urget sub gravi. Excusat vero ab omni culpa quaelibet *mediocris* causa rationabilis. Grave tamen esset canere Missam Conventualem et solemnem, antequam Matutinum in choro dicatur, nisi gravis et publica causa, remoto scandalo, intercedat [3].

75. - De obligatione deferendi habitum et tonsuram.

Quaestio in primis est de Religiosis quibus sive a Regula sive ab Apostolica Sede habitus *proprius* praescribitur veluti Ordinis tessera. Illis igitur habitum religiosum *formaliter* ac *temere* dimittere interdicitur sub poena excommunicationis maioris latae sententiae, adeoque sub gravi: *formaliter,* inquam, scilicet publice ne amplius tamquam Religiosi dignoscantur, non autem privatim ob materialem opportunitatem, v. gr. ad cubandum, quamquam in quibusdam Ordinibus non liceat cubitum ire sine tunica: *temere,* insuper, idest absque rationabili gravique causa, sed ad liberius vagandum

[1] *Summula* etc. n. 455.

[2] Ib. n. 483.

[3] Bucceroni, vol. II, n. 150, ex S. Alph. M. de Lig.

et vivendum. Si quis igitur habitum ad tempus dimittat ex gravi et rationabili causa, velut ad vitandum necis, carceris, violentiae ac similium malorum periculum, nullo modo culpandus est.

In dubio autem an adsit sufficiens causa habitum dimittendi, Religiosus stare potest iudicio sui Praelati authentice declarantis causam esse sufficientem. Quod si ipsemet Praelatus dubitet, vel, a fortiori, si causa illi insufficiens potius videatur, non deponatur habitus, donec opportuna a S. Sede dispensatio obtineatur.

Demum, quamvis ordinarie Regularis, habitum proprium suae Religionis formaliter ac temere dimittens, reus fiat culpae gravis; leviter tamen delinqueret si, absque scandalo, ad iocandum vel ob similem causam, habitum ad horam dimitteret, ita ut adhuc tamquam Religiosus posset agnosci; vel, iuxta probabilem sententiam, si, habitu religioso retento, itemque absque scandali periculo, vestes saeculares superindueret.

Quod ad Regulares attinet qui non habent de iure habitum proprium, standum est, pro non Clericis, consuetudini Ordinis; pro Clericis nondum in sacris, consuetudini item Ordinis, et Statutis Dioecesis; pro aliis, et consuetudini Ordinis et dispositionibus generalibus iuris canonici circa habitum *clericalem*. Habitus nempe Clericorum debet modestiam et gravitatem redolere, atque ab habitu laicorum differre; sed, quoad formam, quae varia est iuxta locorum temporumque diversitatem, standum est statutis et consuetudini locorum, dummodo adhibeatur tunica talaris nigri coloris (cf. § 9). Haec porro obligatio habitum clericalem gestandi, pro Clericis in sacris Ordinibus constitutis, est per se gravis, gravibusque poenis a Tridentino Concilio fulci-

tur [1]. Quando vero non urgeat, vel sub levi tantum urgeat, ex iis quae superius diximus de obligatione deferendi habitum religiosum proprie dictum, patebit.

Nunc verbum *de tonsura.* Haec, quatenus non Clericis in quibusdam Ordinibus praescribitur, non obligat nisi in quantum obligare potest regula illam praescribens; sed tonsura *clericalis* obligat ex praecepto Ecclesiae omnes qui sacris Ordinibus initiati sunt; et si ii, post Praelati monitionem, eam, absque gravi causa, deferre recusent, graviter delinquunt.

76. - De obligationibus negativis, circa arma, venationem, aleas, choreas, publica spectacula, negotiationem, venale exercitium, artes quasdam et officia saecularia.

Arma gerere, seclusa necessitate, Religiosis, sicut Clericis saecularibus, non licet. Potest tamen Praelatus usum armorum alicui permittere ad venandum, dummodo absit scandalum aut materialis damni periculum.

Venatio, si frequens et clamorosa, quae nempe magno hominum, canum armorumque apparatu fiat, illis interdicitur. Si vero quieta, potest a Praelato vel permitti vel interdici, pro sua prudentia. Porro eam a Clericis per arma exerceri sacri canones vetant, nisi adsit Ordinarii licentia [2].

[1] Sess. XIV, c. 6 *de Reform.* — Concilium extendit hanc legem ad *Beneficiarios,* licet non sint *in sacris.*

[2] Cap. 1, *de Cler. venat.* — Conc. Trid. sess. 24, c. 12 *de Reform.* — Bened. XIV, *de Synod. Dioec.* c. 10, n. 6, ad 10, etc.

Alearum ludus, si publice fiat, Clericis saecularibus, saltem si sint *in sacris,* et Religiosis quibuscumque prohibetur; quamquam hodierni Theologi indulgentiores sint erga eos qui sic raro, moderate, ob rationabilem causam, absque scandalo pusillorum, et in locis ubi antiqui canones hac in re videntur obliti, ludunt.

Choreis, sive publicis sive privatis, Clericis et Religiosis interesse non licet. Excipiuntur choreae puerorum eiusdem sexus in Ephebeis, si quando cum debitis cautelis tolerandae videantur.

Publica spectacula illis pariter vetantur, exceptis scenicis repraesentationibus quae, regulis modestiae ac temperantiae caeterisque servandis servatis, admitti solent in Ephebeis; dummodo apud Religiosos non admittantur actrices et cantatrices, aut cantores et actores apud Sanctimoniales. Quoad illa publica spectacula quae per se Clericos et Religiosos minime dedecent, v. gr. cursus equestres, ferarum septa, gesticulatorum praestigia, musici concentus et similia, res dirimenda erit a Praelato, iuxta motivum ad ea impellens, usum regionis, periculum vel absentiam scandali etiam pusillorum, qualitatem personae, aliaque adiuncta. Sane nemo iis adesse praesumat Superiore inconsulto aut renuente.

Negotiatio proprie dicta, seu *commercium,* in eo consistens quod res ematur *ut,* sive non mutata, sive etiam per operarios conductos mutata, ad lucrum inde percipiendum vendatur, Clericis ac Religiosis sub gravi interdicitur.

Sed, si non licet illis emere vilius *ut* carius vendant, licet tamen vendere carius ut post aliquod tempus emant vilius, sicut fieri solet de *obligatio-*

nibus, quas aiunt, *debiti publici* et similibus, modo absit alea.

Licet quoque illis 1° vendere ea quae ad proprium usum emerint, si forte superflua evadant, etiamsi per accidens aliquod lucrum inde percipiant; 2° emere materiam primam ut eam propria industria (non tamen per operarios ob solum lucri finem conductos) mutatam cum lucro vendant, v. gr. emere uvam et lanam, ut vendant vinum et pannum propria industria confectum; 3° emere bruta animalia et illa in propriis praediis alere, ut eadem saginata, aut eorum lanam, lac, ova, foetus etc. cum lucro vendant; 4° emere agros ut vendant fructus; 5° emere, non solum *publicas obligationes*, ut aiunt, sed etiam, cum licentia tamen S. Sedis in Italia et Ordinarii alibi, *actiones ferroviarias* [1], non tamen *actiones bancarias Societatis commanditariae* [2].

At licetne Regularibus vilius emere libros, chartam et similia, ut ea carius vendant ephebis aut puellis in Monasterio educandis? Respondemus distinguendo: Si haec emantur pretio quo *minutatim* a publicis mercatoribus venduntur, non licet ea vendere carius, nisi forte modicissimum pretium exigatur pro eorum procuratione, conservatione et manutentione; sed si emantur *cum reductione* pretii quae a mercatoribus concedi solet his qui mercem *in magna quantitate* emunt, et vendantur alumnis pretio quo a mercatoribus ipsis *minutatim* venduntur, licet *reductionem* illam retinere, sed nihil amplius; nisi forte aliquid aliud exigatur pro mercis procuratione, custodia et manutentione, quod tamen

[1] C. S. Officii, 1 Apr. 1857.

[2] S. C. EE. et RR. 20 Ian. 1846.

cum maxima moderatione computandum erit. Idem dicendum de cereis votivis, de coronis precatoriis, sacris numismatibus aliisque ad pietatem spectantibus quae aliquibus in locis a Regularibus utriusque sexus, nec non a Clericis saecularibus, vendi solent. Simoniacum autem omnino esset ea pluris vendere, quod sint benedicta et indulgentiis aucta.

Venale exercitium non prohibetur Regularibus, si agatur de libris ab ipsis in lucem editis, aut de artefactis eorum opera ac industria honeste productis nec eorum statum dedecentibus. Qua de re S. Congregatio EE. et RR. anno 1707 declaravit eos nullo modo posse, neque per se neque per alios, venalem artem *aromaticam* exercere, praeterquam pro suis aut alumnorum usibus; neque posse vendere pharmaca aut alia cuiusvis generis medicamenta, exceptis *theriaca, hyacintho* et aliis vulgo nuncupatis *chimiche*, sub poenis suspensionis ipso facto a divinis et privationis officiorum, vocisque activae et passivae, absque alia declaratione [1]. Hodie tamen toleratur venditio liquorum sanitati utilium quos plerique Regulares conficiunt, modo ne isti fiant publici mercatores; Religiosi enim et Clerici nequeunt professionem mercatorum exercere.

Quoad artes et officia saecularia « prohibetur sive Clericis in sacris sive Monachis ars *medicorum* et *chirurgorum,* ubi opus sit incisione, amputatione vel adustione; nec adsit necessitas; et quidem sub irregularitate, si inde mutilatio aut mors sequatur.... Si tamen peritus non adsit, et casus urgeat, Clericus, sine peccato, proinde sine poena aut irregularitatis periculo,

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 375; II, pag. 338.

incisionem vel adustionem agere poterit.... Prohibitum vero est Clericis et Monachis publice audire *ius* aut *medicinam;* non quasi malum *in se,* sed *relative,* nempe in dispendium doctrinae canonicae et theologicae ». Ita cl. De Angelis [1].

Omnibus autem Clericis, adeoque etiam Religiosis, eodem canonico iure prohibetur ars quaelibet quae eorum status honestati generatim contraria censeatur, uti ars *macellariorum, tabernariorum, ioculatorum* etc.

Praeterea Clericis beneficiatis vel *in sacris* passim a iure canonico sub gravi prohibentur, sicut et Regularibus, sequentia *officia saecularia,* 1° *tutoris, curatoris* aut *procuratoris minorum;* et quodcumque aliud officium quod sit ministerii publici, ut *Praefecti* urbis, *quaestoris* etc., quodque eos obliget ad reddendas rationes de iustitia, vel de bonis administratis. Excipitur casus quo pupilli seu minores sint proximi Clericorum saecularium propinqui. Hodierna vero praxi receptum est ut possint esse *Deputati, Senatores,* et *Consultores* urbis vel provinciae, nisi specialis adsit prohibitio ex parte ecclesiasticae auctoritatis.

2° Officia *iudicis* in causa sanguinis, *militis, advocati* [2], *procuratoris* et *notarii* in curiis saecularibus, excepto casu quo Clericus agat vel suam, vel suae ecclesiae, vel egeni, vel personae sibi in quarto saltem gradu coniunctae causam; *administratoris* item bono-

[1] T. II, part. 2, pag. 393.

[2] De officio *advocati* Benedictus XIV (*De Syn. Dioec.* Lib. XIII, c. 10, n. 12) scribit: « Advocent Clerici, sed in iudiciis criminalibus tantum pro defensione rei, et in aliis quantum sufficit ad congruam sustentationem ».

rum personae laicae privatae, non miserabilis, cum obligatione reddendae rationis [1].

Exceptiones superius factae pro Clericis, quoad officia saecularia, non valent pro Regularibus, nisi interveniat specialis Superiorum Ordinis licentia, atque Sedis Apostolicae dispensatio.

[1] Bucceroni, vol. II, n. 185.

CAPUT XII

DE REGULARIUM PRIVILEGIIS

SUMMARIUM. — 77. Praenotanda. — 78. De exemptione. — 79. Limites exemptionis a visitatione Episcopi, praesertim quoad Ecclesias curatas, Confraternitates et Sanctimoniales. — 80. De iuribus Episcopi et Regularium circa parvos Conventus. — 81. De iure Episcoporum in Regulares publice delinquentes, aut excommunicatos, aut extra claustra degentes, sive peregrinantes sint, sive saecularizati, sive etiam suppressi, dispersi, eiecti, apostatae et fugitivi. — 82. Speciales iuris dispositiones circa Regulares de haeresi suspectos. — 83. Iuria Regularium et Episcoporum circa erectionem Confraternitatum, et traditionem habitus Tertii Ordinis. — 84. De functionibus Episcopalibus, de festis Dioecesis, deque publicatione censurarum, interdicti, vel novae Indulgentiae, in Ecclesiis Regularium. — 85. De sacris functionibus in genere et, in specie, de ritibus maioris hebdomadae, de processionibus, de sonu campanarum, de expositione SS. Eucharistiae, sacrarum imaginum et reliquiarum. — 86. Dispositiones iuris circa benedictiones varias. — 87. Circa munus patrini et matrinae in Baptismo et Confirmatione. — 88. Circa Sacramentum Poenitentiae administrandum. — 89. Circa idem Sacramentum a Regularibus recipiendum. — 90. Circa excipiendas confessiones Sanctimonialium. — 91. Circa censuras et casus reservatos. — 92. Circa concedendas dispensationes et pronunciandas irritationes. — 93. Circa administrationem SS. Eucharistiae, et Extremae Unctionis. — 94. Circa Missae celebrationem, et circa satisfactionem praecepti illam audiendi in ecclesiis Regularium. — 95. Circa funera et associationem cadaverum. — 96. Circa verbi Dei praedicationem. — 97. Circa Regularium Ordinationes. — 98. Circa assistentiam Synodis Dioecesanis, librorum impressionem, collationes casuum conscientiae et Sacrae Scripturae lectionem. — 99. Circa iudicium super validitate professionis, executionem ultimae voluntatis, et administrationem bonorum Sanctimonialium. — 100. Circa ecclesiastica munia et dignitates. — 101. De praecipuis privilegiis nostrae Congregationis.

77. - Praenotanda.

Antequam praecipua Regularium privilegia eorumque limites exponamus, haec generalia principia praemittenda videntur:

1° Ex iure communi privilegia Regularium non re-

spiciunt nisi Religiones *formales*, in quibus nempe nuncupantur vota solemnia; nam Congregationes et Instituta, quae non admittunt nisi vota simplicia, possunt iisdem privilegiis plus minusve participare, sed ex speciali Apostolicae Sedis concessione; et ideo eam tantum ab Episcopali iurisdictione exemptionem sibi valent vindicare, quam sibi specialiter concessam demonstrent. Et quidem ex his Institutis nonnulla, ex speciali S. Sedis venia, *plena* exemptione gaudent, ut Congregatio *Passionistarum*, quos aiunt, nec non Congregatio *SS. Redemptoris*. Instituta autem quae hac plena exemptione non gaudent, ab Ordinario eximuntur quoad existentiam Instituti, et circa ea de quibus loquuntur eorum Constitutiones a S. Sede specialiter approbatae [1].

2° Quaelibet *formalis* Religio communicat privilegiis aliarum, cum restrictionibus tamen n. 3 referendis. His vero privilegiis fruuntur etiam *Conversi* et *Novitii*, nec non *Episcopi Regulares* (isti tamen non in iis quae Religioni praeiudicium afferrent, ut habitatio in Conventu, ius suffragii in Capitulis etc.); *Tertiarii* quoque et *Tertiariae*, (quatenus capaces sint), habitum Ordinis deferentes, votum castitatis emittentes, et intra propria claustra sub Praelatorum Ordinis dependentia viventes; *Confratres*, insuper, scapularis et cinguli, sed tantum quoad Indulgentias et absolutiones Ordinis proprias; a fortiori *Moniales* eiusdem Ordinis ac Religiosi viri, cum sub eadem regula vivunt, quatenus capaces sint, et in favorabilibus; ita ut Abbatissa, non per se, sed ex commissione Praelati, quae ei facta prae-

[1] *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 98, 99.

sumitur statim ac legitime electa fuerit, possit subditas dispensare in ieiuniis, officio etc. iuxta privilegia Praelatis sui Ordinis concessa; denique, quoad censuras, Sacramenta et sepulturam, vel ipsi Regularium *famuli* actu famulantes et quasi de familia ac perpetui commensales intra claustra commorantes, ut inferius explicabimus.

3° At privilegiorum communicatio non extenditur ad ea quae *odiosa* vel *nociva* alicui Ordini evaderent, velut si essent eius regulae contraria; neque ad ea quae sunt omnino *localia,* v. gr. alicui ecclesiae concessa ob piam iconem vel ob insignes reliquias ibi veneratas; neque ad ea quae conceduntur *personae privatae,* si enim privilegium alicui concedatur ut personae *publicae,* nempe ut tali dignitate seu gradu insignitae, extenditur ad alios Religiosos eiusdem dignitatis seu gradus, quando eadem vel similis ratio in eorum favorem militat; neque ad ea quae alicui Sodalitati conceduntur *ad tempus determinatum,* vel *per Brevia particularia,* vel *ob particularem rationem* quae pro ceteris locum non habeat; vel *de re exorbitanti,* quae difficile concedi soleat, aut sit *speciali memoria digna;* vel de his quae respiciunt *Officia et Missas,* aut *susceptionem sacrorum Ordinum* a quolibet Episcopo [1]; vel demum *de altari privilegiato* [2].

4° Quamvis, iuxta S. Alphonsum M. de Ligorio, privilegia Regularium sint latissime interpretanda; si tamen, etiam post consultos viros peritos, dubium maneat circa eorum aliquod, recurrendum est ad Summum Pontificem.

[1] Bucceroni, vol. I, n. 270.

[2] S. C. Indulg. 5 Febr. 1748, cum approbat. Bened. XIV, 2 Mart. eiusd. anni.

5° Episcopi aliique Praelati saeculares nequeunt privilegia Regularium *iuridice* et *authentice* interpretari. Superior vero Generalis potest *pro toto Ordine* ea interpretari, nedum *doctrinaliter,* sed etiam *authentice* ac *iuridice,* ita ut omnes eius subditi teneantur stare eius interpretationi; idque non solum quoad privilegia, sed etiam quoad leges et consuetudines Ordinis; *pro individuis* vero (scilicet non pro toto Ordine) idem valet, sed prudenter ac ex peritorum consilio procedere debet, ut possit in foro conscientiae auctoritate Apostolica authentice et iuridice omnia interpretari ac declarare [1].

6° Notandum denique subditos privilegiis Regularium non gaudere immediate, sed tantum mediante Praelato, qui pro sua prudentia singulis concedet aut denegabit aut limitabit privilegiorum usum.

78. - De exemptione.

Religiones immediate subiectae Romano Pontifici, qui eas regit per proprios Superiores tamquam Sanctae Sedis commissarios seu delegatos, exemptae sunt ab Ordinariorum iurisdictione [2], cum quibusdam tamen restrictionibus inferius exponendis.

Iurisdictio spiritualis, de qua hic loquimur, est potestas regendi et gubernandi subditos in ordine ad vitam aeternam; adeoque illos iudicandi iuridice, ac puniendi etiam per ecclesiasticas censuras; nec non leges ac decreta ferendi, in iisque dispensandi (cf. § 102).

Itaque Praelati Regulares per hoc exemptionis pri-

[1] Ex S. Alph. M. De Lig. Bucceroni vol. I, n. 271, 2°.

[2] Cf. *Acta S. Sedis,* vol. XIV, pag. 274.

vilegium, in propriis Ecclesiis et Monasteriis, habent, tam circa personas quam circa loca, iurisdictionem *quasi episcopalem,* non tamen absolute episcopalem; cum nequeant iudicia instituere aut decreta ferre in materia fidei, aut leges et decreta generalia condere in materia disciplinae, quod reservatur Capitulo Generali; nec alia quaedam quae sunt exclusivae competentiae Episcopi, ut ex dicendis patebit.

Privilegium exemptionis, ut diximus § praecedenti (n. 2) extenditur, non solum ad Conversos, Novitios et Tertiarios claustraliter viventes, sed etiam ad *famulos* actu Religiosis famulantes atque intra claustra, quasi de familia et perpetui commensales commorantes; isti tamen non gaudent exemptione nisi 1° *quoad Sacramenta,* in quantum scilicet possunt sacramentaliter absolvi a Sacerdotibus Regularibus cum quibus habitant, licet ab Episcopo non approbatis, dummodo approbati sint a Superioribus Ordinis; et possunt insuper praeceptum Communionis paschalis in Ecclesia Regularium, licet non sit parochialis, adimplere, nec non Viaticum et Extremam Unctionem ab ipsis Regularibus recipere; 2° *quoad immunitatem a censuris et reservatione* Ordinarii [1], ut inferius (§ 91) explicabimus; 3° *quoad sepulturam* [2].

Nota tamen ceteros Regularium convictores, ut Ephebi nostri, non gaudere privilegio exemptionis *quoad funera et sepulturam,* ut in celebri causa Collegii nostri Parmensis decrevit S. Congregatio EE. et RR. die 21 Iulii 1848 [3].

[1] Cf. Ballerini in n. 173 Gury.

[2] Bucceroni, vol. I, n. 272.

[3] *Collectan.* ed. I, pag. 616; II, pag. 563. — Bullar. n. pag. 155.

Ceterum circa funera Regularium, aut a Regularibus peragenda fusius alibi loquemur (§ 95).

Quoad Moniales quae Apostolicae Sedi immediate subduntur, hae ab Episcopo loci, *ut S. Sedis delegato*, gubernantur, et insuper a Praelatis Regularibus, si eis sint subiectae; attamen Episcopi semper est earum clausurae invigilare.

Privilegio exemptionis Regulares renunciare non possunt, quia hoc in praeiudicium Ordinis redundaret; proinde nulla contraria consuetudo potest hac in re praevalere. Sed exemptio seu iurisdictionis limitatio, Episcopo opposita, debet probari lucidis argumentis, inter quae est etiam *consuetudo,* si legitima sit [1].

Pro Regularibus *nullius Dioecesis,* quorum nempe Conventus invenitur in territorio simul cum incolis loci ipsi Conventui, quoad iurisdictionem spiritualem, subiecto, exemptio est *absoluta*, adeoque Regulares illi a nullo Episcopo dependent, nisi pro sacris Ordinibus suscipiendis. At pro aliis Regularibus exemptio plures patitur exceptiones. Generatim iurisdictioni Ordinarii subsunt omnes Sacerdotes, etiam Regulares et exempti, in his quae curam animarum Episcopo subiectarum et Sacramentorum administrationem pro iisdem respiciunt [2]. Singula expendemus in sequentibus paragraphis.

79. - Limites exemptionis a visitatione Episcopi, praesertim quoad Ecclesias curatas, Confraternitates et Sanctimoniales.

Generatim, extra loca Missionum, Conventus, Ecclesiae et personae Regularium, in Religionibus forma-

[1] *Acta S. Sedis*, vol. XIII, pag. 30.

[2] Ib. vol. XIV, pag. 410.

libus, eximuntur a canonica Episcopi visitatione, sed quandoque Episcopus potest, iure, non ordinario, sed delegato, scilicet *tamquam Delegatus Apostolicus*, suam visitationem illis imponere, non obstante privilegio exemptionis. In specie vero haec adnotare iuvat:

1° *Ecclesiae saeculares* (quae nempe neque quoad reditus neque quoad spiritualem directionem seu animarum curam alicui Conventui uniuntur), *si a Parocho Regulari regantur*, Episcopi visitationi, sicut ipse Parochus, omnino subduntur. Parochus autem, non secus ac Episcopus Regularis saeculare beneficium habens, non Monasterio sed suae Ecclesiae acquirit quidquid ex suo beneficio obtinet. In praesenti tamen disciplina Regulares nequeunt ad Ecclesias saeculares nominari absque speciali Summi Pontificis indulto, exceptis, ex speciali privilegio, Canonicis Regularibus Praemonstratensibus; exceptis quoque, nisi obstet eorum regula, Religiosis improprie dictis apud quos vota solemnia non emittuntur.

2° *Ecclesiae parochiales Regulares* subduntur visitationi Episcopi, tantum *quoad Parochiam*. Iamvero Ecclesia curata potest uniri seu incorporari Conventui tripliciter, scilicet, vel *quoad temporalia tantum*, quatenus Conventus fruatur simpliciter reditibus; vel *etiam quoad spiritualia*, seu *pleno iure*, quatenus cura animarum translata sit in Conventum, remanente ceteroquin Ecclesia et populo sub ordinaria iurisdictione Episcopi Dioecesani; vel *plenissimo iure*, quatenus Ecclesia et populus subtrahatur a iurisdictione Episcopi Dioecesani, et transeat sub iurisdictione *quasi-Episcopali* Abbatis Monasterii. Porro, *si unio primo modo processit*, Ecclesia curata debet regi in spiritualibus per

Clericum saecularem, qui ad praesentationem Conventus, instituetur ab Episcopo, postquam, praevio examine, repertus fuerit idoneus; atque congrua ei portio ab eodem Monasterio praestabitur, nisi Episcopus velit providere per Vicarium temporaneum. Hic Clericus, quoad curam populi et animarum, rationem reddet Episcopo, cui subiacebit ex integro; et Ecclesia illa curata manet in totum sub visitatione et iurisdictione Episcopi, prout ante unionem. *Si unio facta fuerit secundo modo,* seu *pleno iure*, scilicet quoad temporalia et spiritualia simul, ita tamen ut populus Episcopo Dioecesano subiectus maneat, tunc locum habet constitutio Tridentini Concilii (Sess. 25, cap. 11 *de Regularib.*). Poterit siquidem Paroecia regi per Vicarium vel saecularem vel regularem. Si ponatur Vicarius *saecularis*, tota iurisdictio spiritualis in eum ad Episcopum spectat. Si vero Vicarius est *regularis*, ab Episcopo erit probandus, sed nominabitur *sine concursu* a Praelato Regulari, qui illum removere poterit, certiorato tamen Episcopo, qui vicissim petere potest ut removeatur [1].

Sive autem Paroecia uniatur Conventui *pleno iure*, sive non, Parochus Regularis debet habere socium,

[1] Parochus Regularis est *semper amovibilis* ad nutum proprii Praelati; et, si Paroecia sit *saecularis*, etiam ad nutum Ordinarii, exceptis, in secunda hypothesi, Vicariis *Grangiarum* quae fuerant suppressae et ad statum *saecularem* reductae ab Innocentio X (Const. *Instaurandae*) ob defectum praescripti numeri Religiosorum, quoties huiusmodi Vicarii *ab initio* suppressionis fuerunt ab Ordinario constituti ut *perpetui* seu *inamovibiles*. Ita declaravit S. Congreg. sup. stat. Regular. die 11 Septembris 1670 (*Collectan.* ed. I, pag. 298; II, pag. 267). Eadem S. Congregatio, die 8 Octobris eiusdem anni, prohibuit Ordinario praefatas Vicarias, iam declaratas perpetuas, facere amovibiles, aut, iam constitutas amovibiles, facere perpetuas, absque licentia eiusdem S. Congregationis (*Collectan.* ed. I, pag. 294; II, pag. 264).

unum tantum, ex Sodalibus sui Ordinis; et quamvis teneatur suo Superiori Regulari obedire atque regulam Ordinis observare in iis quae muneri parochiali minime officiunt, nec teneatur obedire Episcopo quoad domesticam disciplinam, debet tamen illi parere eiusque visitationi submitti in iis quae animarum curam respiciunt. Concilium tamen Tridentinum (l. c.) excipit Monasteria seu loca, in quibus Abbates Generales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent; ad cuius exceptionis intelligentiam et declarationem Benedictus XIV edidit Constitutionem *Firmandis atque asserendis* (diei 8 Novembris 1774), in qua explicat hanc ultimam clausulam decreti Tridentini: « salvo eorum Episcoporum iure qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent »; scilicet quod, si consuetudo temperaverit aut imminuerit illam exceptionem, standum sit consuetudini [1].

In utroque item casu praefatae unionis potest Ordinarius mittere Missionarios ad concionandum et ad pias peragendas functiones in illis ecclesiis curatis, non obstante oppositione Parochi Regularis eiusque Sodalium [2].

Demum, *si unio facta fuerit tertio modo,* scilicet si Paroeciae uniantur Monasteriis *plenissimo iure*, Episcopus non potest se earum administrationi immiscere, ut iam diximus; et Praelatus Regularis providebit iuxta suum placitum ponendo Vicarium saecularem vel regularem iuxta tenorem fundationis atque receptam consuetudinem [3].

[1] De Angelis, t. II, part. II, pag. 208 seqq. ex Schmalzgrueber aliisque.
[2] S. C. EE. et RR. 23 Iul. 1694. *Collectan.* ed. I, p. 313; II, p. 281.
[3] De Angelis, l. c.

3° *Confraternitates* locales in ecclesiis aut claustris Regularium extantes possunt ab Episcopo visitari quoad bona et reditus, adeoque potest Episcopus eorum rationes et administrationem inspicere, num eleemosynae ad exornanda vel reparanda Sacella vel pro supellectili altarium oblatae fideliter et ad praedictos usus adhibeantur; an obligationibus pecuniariis personalibus Confratrum sit satisfactum; minime vero quoad curam et administrationem Regularium, in quorum Ecclesia sunt illa Sacella et Confraternitates, v. gr. quoad icones et alias res materiales adnexas, neque quoad sacra utensilia ipsis Sacellis addicta; non enim licet Episcopo in illis Regularium exemptorum Ecclesiis alios iurisdictionis actus exercere, praeter praedictos [1].

4° *Moniales*, Regularibus non subiectae, visitationi subduntur Ordinarii loci, imo, quoad clausuram, illi subduntur etiam Moniales Regularibus subiectae; quia Episcopus debet, ceu Delegatus Apostolicae Sedis, custodiae clausurae omnium Monialium invigilare.

Notandum ducimus Congregationes Regularium virorum non posse, absque S. Sedis indulto, sibi *affiliare*, ut aiunt, Congregationes Monialium [2].

89. - De iuribus Episcopi et Regularium circa parvos Conventus.

Urbanus VIII, per Decretum S. Congregationis Concilii quod inscribitur *De celebratione Missarum,* sub die 21 Iunii 1625, confirmans Constitutionem *Cum alias* Gregorii XI diei 17 Augusti 1622, quae vetuerat ne in

[1] S. C. 31 Iul. 1637, et 16 Nov. 1646. *Collectan.* ed. I, pag. 277; II, pag. 249.
[2] Pius IX, 14 Apr. 1862. *Collectan.* ed. I, pag 167; II, pag. 153.

posterum reciperentur Conventus nisi ibi duodecim saltem Religiosi sustentari possent, haec subdit: « Alioquin Monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi... sustentari atque inhabitare non poterunt et *actu non habitaverint*, Ordinarii loci visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur ». Et postea in responsis ad proposita dubia declaravit hanc legem comprehendere etiam Religiones quae non consueverunt onera missarum recipere; atque locum habere etiam extra Italiam. Cum vero parvorum Conventuum corruptelae perdurarent, Innocentius X, sua Constitutione *Instaurandae* diei 15 Octobris 1652, Conventus regularium virorum, a S. Congregatione cui id commiserat nominatim designandos, in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina, iuxta peculiaria cuiusque Ordinis instituta, servari non posse videretur, in Italia Insulisque adiacentibus, supprimendos decrevit, illos ad statum saecularem reducens atque Episcopis tradens; reservata ipsi S. Congregationi facultate aliquem ex dictis parvis Conventibus conservandi Religionibus, ob rationabiles causas.

Reapse non omnes parvi Conventus suppressi fuere, et multi ex iam suppressis fuerunt, ex gratia, in pristinum statum restituti. Tunc S. Congregatio super statu Regularium constituta, in celebri Decreto *Ut in parvis* diei 10 Februarii 1654, auctoritate eiusdem Innocentii X, huiusmodi Conventus *prius suppressos postea restitutos* subiecit visitationi, correctioni ac omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, non quidem ordinario iure, sed tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati; idque donec in ipsis sustentari possent atque reapse susten-

tarentur *duodecim* Religiosi; praecipiens ut interim in ipsis alerentur saltem sex Religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor, ad minus, essent Sacerdotes maturae aetatis; secus, gratia restitutionis nulla esset, adeoque Conventus illi in usum saecularem reducendi essent, atque Ordinariis tradendi. Conventus autem qui, licet parvi, aequis de causis suppressi non essent, et in quibus sex saltem Religiosi, ut supra, non alerentur, subiecit iurisdictioni Ordinarii, in Italia Insulisque adiacentibus. Denique, Conventus erecti post sup. cit. Decretum Urbani VIII, diei 21 Iunii 1625, subiiciebantur omnes Ordinariis locorum, nisi actu alerent duodecim Religiosos.

Praedictis Decretis innixus cl. De Angelis sic concludit [1]:

« Conventus omnes, intra vel extra Italiam insulasque adiacentes, *quorum erectio facta est post diem 21 Iunii 1625,* in quibus minor quam duodecim Religiosorum numerus constitutus est, visitationi, correctioni et omnimodae iurisdictioni Ordinariorum subsunt...

« Conventus omnes *ante diem 21 Iunii 1625 erecti,* si agatur de locis *extra Italiam et Ins. adiac.,* exemptionem quae Regularium propria est non amiserunt et adhuc retinent; nam Pontificum Constitutiones... Italiam et Ins. adiac. tantummodo afficiebant... Circa Conventus *intra Italiam et Ins. adiac.* qui minorem quam duodecim Religiosorum numerum complectuntur, et fundati fuerunt ante diem 21 Iunii 1625... primo suppressi et postea ex gratia restituti, Episcoporum iurisdictioni

[1] Tom. II, part. 2, pag. 196, seq.

obtemperent donec duodecim Religiosos alere possint et actu alant; quae iurisdictio ordinaria non est, sed ab Apostolica Sede delegata, ut videre est in Decreto *Ut in parvis*.

« Quoad conventus qui suppressionem passi non fuerunt, eo quod tempore datae Constitutionis *Instaurandae* numerum praefixum ad regularem observantiam conservandam recensebant, si post id tempus, et etiam ulterius, reditibus quomodocumque imminutis, sex saltem Religiosos probatae vitae, quorum quatuor sint Sacerdotes, minime continent, Episcoporum iurisdictio non ordinaria sit, sed delegata...

« Tandem Conventus qui tametsi in vim Constitutionis *Instaurandae* et litterarum S. C. supprimi debuissent, nihilo minus actu suppressi non sunt, quia suppressionis decretum effectui minime commissum fuerit, si sex Religiosos de familia connumerent, in Decreto *Ut in parvis* comprehensi non intelliguntur, adeoque Episcopi nullam in iis iurisdictionem vindicare sibi possunt ». Hucusque laudatus Auctor.

Verum ad quaestionis elucidationem iuvat adiicere declarationes et responsa S. Sedis circa sensum et applicationem praecedentium Decretorum. Porro S. Congregatio super statu Regularium die 27 Iulii 1655,

Dubio: « An liceat Episcopo visitare Conventus tam suppressos et postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi an in illis re ipsa alantur sex Religiosi »,

respondit: « Minime licere, antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituto »;

Dubio: « Si a Conventu primum suppresso ac deinde

Religioni restituto absint ex causa rationabili et ad breve tempus unus vel plures e numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla et Conventus remaneat suppressus ut prius »,

respondit : « Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conventum remanere suppressum » ;

Dubio : « Quid si a conventu non suppresso, similiter ex causa rationabili et ad modicum tempus, absit aliquis e sex Religiosis ibi existentibus ; an, durante tali absentia, Conventus subiaceat iurisdictioni Ordinarii »,

respondit : « Subiacere durante absentia » ;

Dubio : « An Religioso illo redeunte, vel alias impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperet pristinam exemptionem »,

respondit : « Recuperare [1] ».

Praeterea eadem S. C., in *una Cappuccinorum,* die 29 Novembris 1657 « censuit Conventus numquam suppressos, in quibus actu degunt de familia plures quam sex Religiosi, minime comprehendi in Decreto s. m. Innocentii X, quod incipit *Ut in parvis*, ac proinde locorum Ordinarios nequaquam posse in vim dicti Decreti in huiusmodi Conventibus aut illorum personis ullam sibi iurisdictionem vindicare [2] ».

Demum die 1 Martii 1714 « *determinò che li Conventi dove attualmente alimentansi sei Religiosi, sieno esenti dalla giurisdizione dell' Ordinario* » ; et, huic decisioni innixa, die 12 Maii 1741 « decrevit ac declaravit Episcopos posse visitare *solum* quando actu non adsint *sex* Religiosi [3] ».

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 280; II, pag. 251 seqq.

[2] Ib. ed. I, pag. 284 ; II, pag. 255.

[3] Ib. ed. I, pag. 396; II, pag. 357.

Ex his aliisque documentis a cl. Bizzarri editis [1] liquido constat visitationi ac iurisdictioni Episcopi subiici parvos Conventus in quibus actu non degunt saltem sex Religiosi, quorum quatuor saltem Sacerdotes sint, ac a fortiori, Grangias ubi morantur Conversi pro agrorum cultura, cum Ecclesiis seu Oratoriis eisdem adnexis et personis ibi commorantibus. Quoad alios Conventus, qui sex aut plures, sed non duodecim, Religiosos habent, probabile saltem est eos, sin ex stricto *iure,* saltem ex hodierna Ecclesiae *praxi,* visitationi ac iurisdictioni Ordinariorum, extra loca Missionum, non subiici, nisi forte aliquando, ob extraordinaria adiuncta, velut ad tollendum grave scandalum, ad id devenire, praevia Apostolicae Sedis approbatione, necesse sit.

Imo ipsum *ius* Episcoporum visitandi *parvos* Conventus in desuetudinem vergere videtur. Qua de re placet referre quae scribit Auctor *Disceptationis Synopticae* circa causam *Sacrae Visitationis* apud S. Congregationem EE. et RR. die 16 Martii 1866 discussam. En eius verba: « In Consultatione *ex officio* conscribi solita... animadvertebatur quod S. Congregatio Concilii in responsionibus ad Episcoporum relationes, quod pertinet ad parvorum Conventuum visitationem (de qua agit Instructio Benedicti XIII, § IV, n. 3) solemne habeat nullatenus urgere ut hoc ius, *quod ab omnibus ordinarie omitti solet,* exercere studeant, dummodo peculiares circumstantiae aliter fortasse non suadeant. Neque diversa est S. Congregationis EE. et RR. disciplina; quod utique confirmabatur exemplo cuiusdam causae *Tarvisinae Oratorii* penes eam S. Congregationem plu-

[1] Collectan. ed. I, pag. 280, 284, 291, 298; II, pag. 251, 255, 261, 267.

ries in examen deductae. In ea de Oratorio agebatur quod cuidam Hospitio Societatis Iesu erat adnexum. Eiusdem visitationem aggredi voluisset Episcopus Tarvisinus; at S. Congregatio, post plures propositiones, cum aliunde nequaquam dubitaretur quin omnia quae ad divinum cultum pertinent sancte religioseque in eo custodirentur, tandem die 20 Martii 1857 rem indefinite distulit, dato responso: *Dilata, et scribatur Episcopo ut, attentis peculiaribus circumstantiis, se abstineat a Visitatione Oratorii* [1] ».

Nunc pergimus ad exponendas quasdam conditiones vel restrictiones ab Apostolica Sede appositas iuri Episcoporum circa parvos Conventus seu Grangias, praesertim ubi huiusmodi Conventus a potestate saeculari fuerunt iniuste suppressi.

Et primo quidem Grangiae *ab Innocentio X suppressae* Constitutione *Instaurandae* et Decreto *Ut in parvis*, et ad statum saecularem reductae, illarumque Ecclesiae et Oratoria publica, possunt ab Episcopo visitari, dummodo minime se ingerat in temporalibus, quando earum proprietas est Monasterii. Ius vero illas visitandi, quoad Ecclesias et publica Oratoria, competit Ordinario *privative;* quoad Conversos vero in eis degentes, *cumulative,* Ordinario scilicet *iure delegato* ad formam S. Concilii Tridentini, Regularibus autem *iure ordinario.* Idem dicito in casu quo Ecclesiae illae curam animarum adiunctam habeant.

Grangiae autem, seu membra alicuius Monasterii, *numquam a S. Sede suppressae,* in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subsunt iurisdictioni et visitationi

[1] *Acta S. Sedis,* vol. II, pag. 155.

Ordinarii loci ac Superiorum Regularium *cumulative*, videlicet Ordinario *tamquam Sedis Apostolicae delegato*, iuxta praedictum Decretum *Ut in parvis*, Regularibus vero *iure ordinario* [1].

Deinde, Visitatio Episcopi in parvis Conventibus seu Grangiis non ei confert ius *procurationis*, seu exigendi pecuniam aut victualia pro ipsa visitatione [2].

Nec potest Episcopus ibi deputare Superiores locales; nec inde amovere Religiosos nisi ex rationabili causa, commonito prius Superiore Regulari, ad quem pertinet eosdem Religiosos aliis Conventibus assignare.

Notandum iurisdictionem Ordinario loci tamquam Sedis Apostolicae delegato attributam in Decreto Innocentii X, competere etiam Vicario Generali Episcopi, nec non Abbatibus aliisque inferioribus Praelatis proprium territorium ac iurisdictionem quasi episcopalem habentibus.

Alias Declarationes ab Alexandro VII emanatas, circa respectivam iurisdictionem sive Ordinarii sive Praelati Regularis in parvos Conventus seu Grangias, invenies apud cl. Bizzarri *(Collectanea* l. c.*)*.

Denique, quoad Conventus civiliter a Gubernio italico suppressos, S. Poenitentiaria die 18 Aprilis 1867 decrevit: « Domus Regulares civiliter suppressas, dummodo in eas *tres saltem* ad ibi degendum conveniant Regulares, quorum *unus ad minus sit Sacerdos*, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas, easque regendas esse per Superiorem peculiarem ibi constituendum [3] ». Die vero 12 Septembris 1872, huic quae-

[1] S. C. 11 Sept. 1670. *Collectan.* ed. I, pag. 298; II, pag. 267.

[2] S. C. 25 Iun. 1664. *Collectan.* ed. I, pag. 291; II, pag. 261.

[3] *Acta S. Sedis*, vol. III, pag. 152.

sito: « Quomodo se gerere debeant Superiores Provinciales et locales, dum Ordinarius loci subiicere vult S. Visitationi Ecclesias et Domos, ac visitationi ita dictae auriculari Regulares qui *numero ternario* simul habitantes, Ecclesias ipsas ac Domos sui Ordinis tenent »; eadem S. Poenitentiaria rescripsit « praedictas Ecclesias ac Domos, nec non Religiosos ibidem degentes, eadem immunitate gaudere qua antea fruebantur [1] ».

Nec obstat quod die 26 Augusti sequentis anni 1873 cuidam Episcopo petenti an, vigore Decreti *Ut in parvis* diei 10 Februarii 1654, sibi liceret visitare parvum Conventum cum Ecclesia et personis ibi degentibus, in quo a primaeva sua fundatione, nempe ab anno 1692, *tres* semper Religiosi, quorum *duo Sacerdotes*, habitaverant; S. Congregatio Concilii responderit *affirmative* [2]: non, inquam, id obstat, quia Conventus ille, si fuit civiliter *de iure* suppressus (nam *de facto* Communitas eadem mansit ac ante suppressionem) non poterat gaudere post suppressionem immunitate qua antea non fruebatur; unde merito cl. Avanzini hoc loco invocat legem generalem latam ab Innocentio XII, Constitutione *Nuper*, die 23 Decembris 1697, scilicet Domos Religiosas subiici visitationi, correptioni et omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apostolicae delegati, si in his actu non alantur *saltem sex Religiosi* probatae vitae, quorum ad minus *quatuor sint sacerdotes* maturae aetatis [3]. Ceterum, iuxta relatorem causae *Cusentinae* diei 12 Februari 1894,

[1] *Acta S. Sedis*, vol, VII, pag. 147 seq.

[2] Ib. vol. III, pag. 630.

[3] Ib.

praefatum S. Congregationis Concilii responsum minime contradicit Instructioni et relativis responsis S. Poenitentiariae superius allatis; quia S. Poenitentiaria concessit quidem religiosam familiam in Conventibus ab italico Gubernio suppressis posse *tribus* Religiosis constitui, eamque Superioribus Regularibus subiecit *quoad regularem disciplinam*, sed, *quoad externam ecclesiasticam disciplinam* parvos illos Conventus reliquit sub iurisdictione Ordinarii, quod aliis quoque documentis probari potest. Nec in hac sententia inutile evadit privilegium a S. Poenitentiaria concessum, quia nunc parvi illi Conventus civiliter in Italia suppressi iurisdictioni Superiorum Regularium, quoad regimen internum, *privative* subiacent, cum antea, etiam quoad disciplinam regularem, suberant *cumulative* iurisdictioni Ordinarii loci et Superioris Regularis. Ius vero commune non abrogatur posterioribus dispositionibus nisi quatenus cum iisdem conciliari non possit[1]. Adde S. Poenitentiariam in suis responsis diei 12 Septembris 1872, praesertim ad II^m, in sensu praefato suam praecedentem Instructionem declarasse, et varias quaestiones hac de re propositas solvisse[2].

81. - De iure Episcoporum in Regulares publice delinquentes, aut excommunicatos, aut extra claustra degentes, sive peregrinantes sint sive saecularizati sive etiam suppressi, dispersi, eiecti, apostatae et fugitivi.

Publice delinquentes possunt ab Episcopo loci puniri, non solum si delictum patraverint extra Monasterium,

[1] *Acta S. Sedis*, vol. XXVII, pag. 113, seq.

[2] Ib. vol. VII, pag. 149, seq.

sed etiam si illud commiserint in Monasterio cum gravi Christifidelium scandalo, quoties Praelatus Regularis, transacto tempore ab Ordinario ipso ad eos puniendos praefinito, id negligat; quo in casu ipsemet a Superioribus suis destituendus est [1]. Quod si Praelatus Regularis delinquentem impunitum mittat extra Dioecesim, Praepositus Ordinis, ex Constitutione *Suscepto* Clementis VIII, tenetur, sub poena privationis officii, reum, ubicumque sit, castigare; et, si ipse id negligat, delinquens puniendus est ab Ordinario loci ad quem missus est.

Potest quoque Episcopus, tamquam a S. Sede delegatus, punire Regulares intra claustra delinquentes circa personas nec non circa clausuram vel administrationem bonorum Sanctimonialium, etiam Regularibus subiectarum, ut constat ex Bulla *Insatiabili* Gregorii XV; ac demum si eius iurisdictionis exercitium impedire praesumant.

Quoad excommunicatos, probabile est Episcopum posse publice denuntiare Regularem qui, ob crimen notorium, in excommunicationis censuram inciderit.

Extra claustra degentes, si quasi *peregrinantes* sint, non subsunt iurisdictioni Episcoporum, nisi quoad ea quae publicum ministerium, velut concionatoris vel confessarii, respiciunt; verumtamen, si ita a suis Conventibus distent ut a proprio Superiore corrigi ac puniri nequeant nisi post longius tempus, et interim graviter publiceque delinquant, possunt ab Ordinariis locorum ubi delinquunt puniri. Qui tamen, etiamsi non taliter delinquentes, peregrinantur absque scripta licentia Prae-

[1] Conc. Trid. Sess. 25, c. 14, *de Reg.*

latorum Ordinis, ab Episcopi loci iurisdictione minime eximuntur.

Saecularizati sive ad tempus, sive in perpetuum, qui ideo permanenter degunt extra claustra, possunt in primo casu visitari, puniri ac corrigi ab Episcopo loci tamquam ab Apostolica Sede delegato; in altero autem casu illi omnino subduntur tamquam proprio Ordinario, sicut Clerici saeculares (De saecularizatis fusius dicemus § 116).

Suppressi a Summo Pontifice ceteris Episcoporum subditis aequiparantur; suppressi vero a civili auctoritate non amittunt per illegitimam suppressionem propria iura, dummodo aliquo modo in familia religiosa, iuxta superius dicta (§ 80), consistant et convivant [1].

Dispersi, idest vi e claustris expulsi, subsunt Provinciali in cuius ditione versantur; illis, quoad fieri poterit, Superiores locales constituendi sunt; Superiores autem curare debent ut eos in Communitates reducant; et inobedientes, qui scilicet nolint redire ad convivendum cum Sodalibus, omnibus Ordinis privilegiis privantur [2]: sed interim, antequam in Communitates conveniant, quamquam propriis Superioribus subiiciantur quoad regularem disciplinam, debent, quoad disciplinam ecclesiasticam et externam *politiam,* subesse iurisdictioni Ordinarii [3]. Generatim, privilegia *personalia* in Ecclesiis Regularium, pulsis Religiosis, evanescunt, quamvis aliquis Religiosus quasi cappellanus aut custos in Ecclesia remaneat; privilegia vero *realia,* ve-

[1] Cf. *Acta S. Sedis,* vol. V, pag. 596.
[2] Ib. vol. VII, pag. 407, 408 et 412.
[3] *Acta S. Sedis,* vol. IX, pag. 110.

lut ius tumulandi, a Religioso ibi relicto exerceri debent [1].

Eiecti, apostatae et *fugitivi* iurisdictioni Ordinarii omnimode subduntur. Praeterea, *apostatae* (qui nempe a Religione proprio marte discedunt cum animo minime redeundi, etsi habitum retineant), et *fugitivi* (qui scilicet absque licentia discedunt cum animo redeundi), si habitum dimittant, excommunicationem incurrunt, a sacris suspenduntur, atque, si durante apostasia vel fuga sacrum faciant, irregulares evadunt; denique toto illo tempore omnibus Ordinis privilegiis privantur (De *dispersis* cf. § 113; de *apostatis* et *fugitivis* § 114; de *eiectis* § 115).

82. - Speciales iuris dispositiones circa Regulares de haeresi suspectos.

Regulares omnes, in causa haereseos et aliis ad tribunal S. Officii spectantibus, subiiciuntur tum Inquisitoribus, tum Episcopis tamquam Sedis Apostolicae delegatis, ex Decreto Concilii Tridentini (sess. 5, c. 2 *de Reform.*).

Omnes, praeterea, sive Superiores sive subditi, tenentur denunciare Inquisitoribus vel Ordinariis locorum (etiam inconsultis propriis Superioribus, aut sine eorum venia, et absque praevia correctione seu admonitione fraterna) proprios Confratres, etiam Superiores et quidem primarios Ordinis, de haeresi quantumvis leviter suspectos, atque monere et obligare sive alios Sodales sive Christifideles ad illos denunciandos.

[1] S. C. Conc. S. Rit. C. ac S. C. Indulg. apud Bucceroni, vol. I, n. 282.

Superioribus autem districte interdicitur ne audeant causas ad S. Officium quovis modo spectantes agnoscere, definire, terminare aut in illis sese quovis modo intromittere, denunciationes recipere, testes examinare etc.; neve audeant subditos denunciantes et ad S. Officium recurrentes directe vel indirecte avertere, retrahere, dissuadere, vexare, impedire vel retardare.

Qui vero contra haec fecerint, ipso facto privantur quibuscumque dignitatibus, praelaturis, officiis, voce activa et passiva, atque ad illa perpetuo inhabiles declarantur; nec non poenis contra haereticorum fautores et S. Officii impeditores latis, etiam excommunicationis maioris latae sententiae, mulctantur [1].

83. - Iura Regularium et Episcoporum circa erectionem Confraternitatum, et traditionem habitus Tertii Ordinis.

Quoad *erectionem Confraternitatum* Regulares Episcopis subduntur. Nobis a Benedicto XIV, per Breve diei 5 Maii 1752 [2], concessum est privilegium erigendi in quibusvis Collegiis, Seminariis ac Domibus Regularibus sub cura, regimine et administratione Congregationis nostrae existentibus, unam seu plures Confraternitates sub invocatione et titulo *B. Mariae V., virorum tantum*, tam scholarium quam non scholarium; sed, ante definitivam cuiusque Confraternitatis erectionem, Praepositus Generalis exigere debet eam fuisse constitutam, non solum *de consensu Capituli localis*,

[1] Pauli V Const. *Romanus Pontifex*, 1 Sept. 1606; et Decr. S. Inquis. sub Alex. VII *Licet alias*, 8 Iul. 1660, *Compend.* pag. 50, seq.

[2] Bullar. n. pag. 117.

sed etiam *de consensu Ordinarii loci,* ad normam Constitutionis *Quaecumque* Clementis VIII [1].

Idem dicendum de erectione ubilibet facienda pii Sodalitii *B. Mariae V. a Providentia, Adiutricis Christianorum,* quam, postquam rite erecta alicubi fuerit de consensu Capituli localis et per decretum Ordinarii loci, Praepositus Generalis *aggregare* potest *Archisodalitati* a Gregorio XVI sub eodem titulo erectae in nostra Ecclesia Ss. Blasii et Caroli de Urbe [2].

Sic etiam Praepositus Generalis omnia privilegia piae precum societatis in Sacello nostro Parisiensi constitutae pro Conversione Orientalium, Ruthenorum et Anglorum acatholicorum, communicare potest aliis quibuscumque ecclesiis, ubi, de Ordinarii licentia, eadem pia exercitia fient [3].

Quoad *habitum Tertiariorum,* Regulares nequeunt habitum sui Ordinis *mulieribus* Tertiariis tradere absque licentia Episcopi, qui illam non debet concedere nisi sub quibusdam conditionibus a Benedicto XIV in opere *De Synodo Dioecesana* enumeratis [4].

84. - De functionibus Episcopalibus, de festis Dioecesis, deque publicatione censurarum, interdicti, vel novae Indulgentiae, in Ecclesiis Regularium.

Regulares, licet exempti, tenentur Episcopo loci convenientem reverentiam praestare eumque cum debito honore excipere si quando Sacra facere in eorum

[1] 7 Oct. 1604.

[2] Bullar. n. pag. 137.

[3] Ib. pag. 212 et seqq.

[4] L. IX, c. 15, n. 11.

Ecclesiis velit. Potest autem Episcopus iure proprio ibi in Pontificalibus celebrare, adeoque uti baldachino, populo benedicere et Sacramentum Confirmationis administrare, etiamsi Ecclesiae illae parochiales non sint [1].

Tenentur insuper Regulares observare dies festos ab Episcopo praescriptos; eos tamen celebrare debent, quoad Officium et Missam, ritu sibi proprio.

Quoad *ordinem* divini officii recitandi, et festa *Titularis,* vel *Dedicationis* Ecclesiae Cathedralis cf. § 74.

Tenentur item publicare, si Episcopus id mandet, censuras et interdicta ab ipso prolata, atque sese illis conformare [2].

Nequeunt autem, absque Ordinarii licentia, publicare *novas* Indulgentias a S. Sede concessas [3]; quod intelligendum videtur de Indulgentiis, non ipsis Regularibus aut Christifidelibus eorum ecclesias frequentantibus sive eorum piis operibus participantibus, sed omnibus Christifidelibus, saltem alicuius regionis, concessis; et tamen, si agatur de publicatione typis facienda, semper requiritur licentia Ordinarii. Imo, si sermo sit de edendo summario antea collecto sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur insuper expressa S. Congregationis Indulgentiarum licentia [4]. Excipiuntur elenchi facti ab Ordine, Instituto, Archiconfraternitate etc. pro Societatibus seu Confraternitatibus sibi aggregatis; tunc enim sufficit recognitio Ordinarii [5].

[1] Clementin. *Archiepiscopo,* 2 de privil. — Bened. XIV, *De Syn. Dioec.* l. IX, c. 15, n. 9.

[2] Conc. Trid. sess. 25, c. 12 *de Reg.*

[3] Ib. sess. 21, c. 9 *de Reform.*

[4] S. C. Indulg. 14 Dec. 1857 — *Acta S. Sedis* vol. XXVIII, pag. 65.

[5] Eadem S. C. 8 Ian. 1861.

85. - De sacris functionibus in genere et, in specie, de ritibus maioris hebdomadae, de processionibus, de sonu campanarum, de expositione SS. Eucharistiae, sacrarum imaginum et reliquiarum.

Quoad sacras functiones, non exclusive pro religiosa familia, sed publice et praecipue pro populo in ecclesia seu in publico oratorio peragendas, Regulares ad aliquam dependentiam erga Ordinarios obligantur; saltem ab initio fundationis generalem licentiam exquirere debent. S. Congregatio quaestionem inter quoddam Collegium Societatis Iesu et respectivum Ordinarium exortam sic dirimit: « Pro sacris functionibus quae fiunt in Ecclesia Societatis, vel extra, nempe sermonibus, exhortationibus, expositionibus Venerabilis, et aliis *fieri solitis* (excepta facultate excipiendi confessiones), P. Rector initio cuiuslibet anni petat licentiam ab Episcopo illas exercendi, et si Episcopus velit ut P. Rector exprimat quae sint functiones singulis annis fieri solitae, eas *in voce pro unica tantum vice* exprimere non recuset. Pro functionibus vero *extraordinariis* quae occurrunt a Patribus explendis, quaeque non sunt solitae singulis annis fieri, servetur solitum petendi licentiam *singulis vicibus* pro eis explendis; insuper quotiescumque venerit aliquis Religiosus Societatis qui sermones sit publice habiturus, debeat semel se praesentare coram Episcopo, cum approbatione sui Rectoris, pro licentia eos habendi extra ecclesiam, et respective benedictione intra ecclesiam Societatis » [1].

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 396; II, pag. 357.

At de his aliisque sacrum spectantibus ministerium singillatim nobis loquendum est.

Omnes functiones maioris hebdomadae a Regularibus in propriis ecclesiis peragi possunt, salva parva restrictione de qua mox dicemus circa pulsationem campanarum.

Quoad processiones, distinguendum est inter processiones generales, quae auctoritate Episcopi fiunt, et particulares quae a Religiosis peraguntur. Quoad primas, Episcopus cogere potest Regulares ut illis intersint, nisi aut strictae clausurae subsint, aut dimidio milliario a civitate distent, aut (sicut nos) ex speciali privilegio ab illa obligatione eximantur Huic privilegio, sicut et aliis, possumus aliquando ob speciales circumstantias renunciare, at sponte, nec in perpetuum; nam Regulares nequeunt absolute suis privilegiis renunciare, id enim verteret in damnum Religionis.

Quoad alias processiones sibi proprias, Regulares eas facere, absque licentia Parochi aut Episcopi, possunt intra suae ecclesiae claustra; vel, si ecclesia non habeat claustra aut spatium deficiat, prope ecclesiae muros, sive exeundo per unam ianuam et intrando per aliam, sive exeundo et intrando per eamdem; sed processionem producere extra murorum ambitum nequeunt nisi de licentia seu consensu Parochi; quod si hic obstet, requiritur et sufficit licentia Episcopi [1]. Attamen per Octavam festi Corporis Christi, etiam in Dominica infra illam Octavam, possunt processionem producere extra limites Conventus, Parochi venia non petita [2].

[1] S. C. EE. et RR. 14 Dec. 1674. *Collectan.* ed. I, pag. 302; II, p. 273. Item S. C. Conc. 3 Aug. 1686, et 12 Ian. 1726.

[2] Const. *Cum interdum* Greg. XIII.

De sono campanarum pauca. Generatim loquendo, Regulares impediri nequeunt quominus suas campanas pro lubito pulsent, sed in Missa Sabbati Sancti campanas exteriores pulsare non debent antequam pulsentur campanae Ecclesiae maioris.

Expositio SS. Eucharistiae, si *publice* fiat et Hostia *detecta,* Regularibus in propriis ecclesiis interdicitur, nisi ex publica causa ab Ordinario probata; eius tamen permissio non est necessario petenda, sed praesumitur, ubi contraria consuetudo legitime invaluit [1]. Licet tamen eis exponere *ex causa privata,* absque Ordinarii licentia, SS. Eucharistiam in ostiolo tabernaculi, aut in pixide, sed *velatam:* quod si non *publice,* sed pro solis Religiosis exponatur, potest esse *detecta* [2].

Quoad sacras imagines et reliquias Concilium Tridentinum (Sess. 25, *de invocatione* etc.) decrevit « nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam *insolitam* ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit: nulla etiam admittenda esse *nova* miracula, nec *novas* reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo ».

86. - Dispositiones iuris circa benedictiones varias.

Ex benedictionibus in Missali et Rituali Romano enumeratis quaedam sunt Episcopo, quaedam Parocho, aliae nemini reservatae.

I. Ex reservatis Episcopo aliquae ita illi reservan-

[1] S. R. C. 20 Febr. 1628.

[2] Bouix, Bucceroni etc. h. l.

tur, ut ipse nequeat ad eas delegare simplices Sacerdotes, suntque illae in quibus sacra unctio adhibetur: aliae vero ita illi reservantur, ut ad eas valeat simplices Sacerdotes, maiores vel minores, delegare. Sic *maiores* Sacerdotes delegare potest ad benedictionem primarii lapidis ecclesiae construendae, vel novae ecclesiae seu publici oratorii, vel novi coemeterii; item, eos delegare potest ad reconciliationem ecclesiae non consecratae vel violati coemeterii. Potest insuper, saltem probabiliter, delegare simplices Sacerdotes ad benedicenda sacerdotalia indumenta, corporalia, mappas, ciborium seu vasculum pro SS. Eucharistia servanda; nec non ad benedicendas cum solemnitate (idest cum populi concursu et cantu) cruces ac sacras imagines. At non potest omnes benedictiones sibi reservatas, in quibus sacra unctio non intervenit, delegare *minoribus* Sacerdotibus [1].

II. Benedictiones quae, licet non sint reservatae Episcopo, iuris tamen parochialis sunt, nequeunt ab aliis simplicibus Sacerdotibus impertiri, absque Parochi licentia seu consensu, ut *solemnis* benedictio domorum in Sabbato Sancto, et benedictio *solemnis* agrorum et frugum [2].

III. Reliquae benedictiones nemini reservatae possunt a quocumque Sacerdote impertiri: sed, etiam quae per se non sunt de iure parochiali, v. gr. benedictio novae domus, talami, novae navis, candelarum, aquae, agni, ovorum, panis etc., fieri nequeunt in ecclesia aliena, neque publice et solemniter in locis alterius iurisdictionis, Parocho seu Rectore contradicente, praesertim ubi ab istis ex consuetudine fieri solent.

[1] 5 S. R. C. Oct. 1686, et 9 Maii 1705.

[2] *Acta S. Sedis*. vol. XII, pag. 529.

Quod ad Regulares speciatim spectat, ipsis ius non agnoscebatur benedicendi mulieres post partum easque ad purificationem admittendi in suis ecclesiis non parochialibus [1]; sed anno 1896 S. R. C. « decernit benedictionem mulieris post partum fieri *debere* a Parocho, si expetitus ipse fuerit; *posse* autem fieri a quocumque Sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico, certiore facto Superiore Ecclesiae ».

Illis quoque permittitur benedictio praediorum, cum stola, sed sine solemnitate, scilicet benedictio privata [2].

Nobis Sixtus V privilegium concessit benedicendi indumenta et paramenta sacrorum celebrationi necessaria, sed *duntaxat pro usu Ecclesiarum Congregationis* [3].

87. - Circa munus patrini et matrinae in Baptismo et Confirmatione.

Regulares utriusque sexus, cum non sint sui iuris, nequeunt, absque speciali dispensatione, patrini vel matrinae munere fungi, neque erga baptizandos, neque erga confirmandos; non enim, ordinarie loquendo, parentum vices, necessitate urgente, gerere valerent. Excipitur casus Confirmationis alicuius Regularis; cui scilicet, uti reor, dari potest ex eodem ipsius Ordine sive Instituto patrinus aut matrina [4].

Dispensatio, si quando, iusta de causa, petenda vi-

[1] S. C. 8 Aug. 1760. *Collectan.* ed. I, pag. 430; II, p. 388; Cf. Bouix, *de Parocho,* p. 524, et De Herdt, part. VI, n. II.

[2] S. C. 31 Aug. 1629. *Collectan.* ed. I, pag. 292; II, p. 262.

[3] Bullar. n. p. 56.

[4] Craisson, Bucceroni etc. h. 1.

deatur, peti debet pro Sodalibus Religionum formalium a S. Congregatione EE. et RR., in Congregationibus vero et Institutis votorum simplicium ab Ordinario loci.

88. - Circa Sacramentum Poenitentiae administrandum.

Sacerdotes Regulares possunt, absque approbatione Ordinarii, a proprio Praelato (apud nos a Praeposito Generali) approbari ad excipiendas confessiones Sodalium sui Ordinis, necnon saecularium in eorum Conventu commorantium tamquam de familia ac perpetui commensales; quod quidem privilegium non competit Sodalitatibus votorum simplicium, nisi ex speciali et expressa S. Sedis concessione.

At, ad excipiendas ceterorum confessiones, Regulares, quantumvis exempti, omnino indigent approbatione Episcopi, qui potest exigere ut in sua Curia scientiae periculum faciant, antequam eos admittat ad audiendas confessiones in sua Dioecesi.

Regularis approbatus in aliqua Dioecesi, nova approbatione non indiget ad valide absolvendum, si, mutato loco, eodem redeat, vel per eandem Dioecesim transeat, modo approbatus fuerit indefinite et illimitate, vel ad beneplacitum seu usque ad revocationem, vel etiam ad tempus determinatum sed nondum transactum.

Idem dicendum pro tempore quo Sedes vacat, nisi quis a defuncto Episcopo sine praevio examine approbatus fuerit; quo in casu, si imperitus deprehendatur, et gignantur scandala, Vicarius Capitularis potest eum ad examen vocare et, si indignum repererit, reprobare (S. C. C. 5 Febr. 1688): in aliis vero casibus, si adsint

rationes gravis momenti, vicarius Capitularis recurrere debet ad S. C. EE. et RR. ut ipsamet declaravit die 19 Iun. 1806 [1].

Regulares in aliqua Dioecesi approbati nequeunt confessiones fidelium istius Dioecesis excipere in alia, sicut licet Episcopis et Parochis pro suis subditis, nisi cum permissione Ordinarii loci in quo inveniuntur.

Facultas audiendi confessiones semel et absque temporis limitatione Regularibus ab Episcopo concessa, non potest ab ipso adimi nisi ex nova causa, eaque ad ipsum ministerium confessionum pertinente, aut quod Regulares Confessarii interdictum ab ipso positum violaverint. Nequit insuper Ordinarius *omnibus simul* eiusdem Conventus Confessariis hanc facultatem, inconsulta S. Congregatione, auferre [2].

Causam ob quam alicui Regulari revocavit facultatem excipiendi confessiones, eo quod ille haud se gesserit ceu sanctitas huius ministerii postulabat, Episcopus Regularibus ipsis vel eorum Praelatis manifestare non tenetur; eam tamen aperire debet Apostolicae Sedi, si haec id postulet.

Potest Episcopus, ex legitima causa, revocare facultates a suo Decessore vel a suo Generali Vicario absque limitatione temporis concessas.

Mutato Episcopo, Confessarii qui ab eo facultates excipiendi confessiones obtinuerant ad eiusdem beneplacitum, petere debent illarum renovationem seu confirmationem; non tamen si mutetur tantum Vicarius Generalis.

[1] *Collectan.* ed. I. p. 451; II, p. 407.

[2] S. C. EE. et RR. 20 Nov. 1615. *Collectan.* ed. I, pag. 22, et 361 seqq.; II, p. 21, et 326, seqq.

Legitima causa qua Ordinarii determinantur ad revocandas facultates audiendi confessiones, sicut etiam concionandi, debet *constare in actis* [1].

Praeterea, S. Congregatio EE. et RR., die 18 Septembris 1641, et 22 Septembris 1645, censuit Regulares a locorum Ordinariis approbatos non posse ab iisdem prohiberi quominus personarum aegrotantium confessiones audiant absque Parochorum licentia, dummodo relinquant schedulam, vel notificent ipsis Parochis se illis aegrotis Sacramentum Poenitentiae administrasse, in casu quo sint illis administranda Sacramenta Eucharistiae et Extremae Unctionis [2]. Possunt etiam, proprio iure, assistere moribundis et facere eorum animae commendationem, ut eadem S. Congregatio declaravit die 31 Augusti 1629 [3].

Regulari approbationem postulanti, eam Episcopus denegare nequit, nisi, facto periculo seu examine, constet illum idoneum non esse. Ei vero quem idoneum repererit non potest approbationem concedere pro quibusdam tantum personis, velut pro pueris cuiusdam Collegii, vel pro quadam tantum circumstantia, velut tempore missionis aut spiritualium exercitationum; sed debet eam generaliter concedere, quamquam possit tempus limitare, v. gr. ad annum, nec non excludere confessiones in Monasteriis et Conservatoriis mulierum; et, si Confessarius iunior sit, excludere, iuxta generalem Dioecesis legem, confessiones mulierum quarumcumque. Qua de re Constitutiones nostrae haec habent: « Maxima cautio adhibeatur in iis qui foeminarum con-

[1] Epist. S. C. 13 Ian. 1610. *Collectan.* ed. I, pag. 271; II, pag. 243.

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 27-28; II, pag. 25-26.

[3] Ib. ed. I, pag. 292; II, pag. 262.

fessiones audire permittendi sunt, quae provincia minoribus triginta annis non mandetur [1] ».

Ad praesentem quaestionem pertinent sequentes decisiones, quas S. Congregatio EE. et RR. die 2 Martii 1866 edidit:

Quaer. 1° An Religiosus a suo Praelato minime approbatus, vel illo invito, cum sola Ordinarii facultate *valide* excipiat confessiones saecularium.

Resp. affirmative.

Quaer. 2° An Superiores Regulares iurisdictionem habentes possint subditos ab audiendis saecularium confessionibus *suspendere*, etiam ex informata conscientia propter delicta occulta.

Resp. affirmative, quatenus Religiosus suspensus *illicite*, non tamen *invalide*, confessiones excipiat.

Quaer. 3° An valeat suspensio oretenus data et absque scripto enunciata.

Resp. affirmative, cum feratur per modum praecepti *particularis*.

Quaer. 4° An qui eiusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat.

Resp. negative, quia, ut dictum est ad 3m, suspensio fertur per modum praecepti [2].

Nec omnino abs re erit advertere Regulares posse in suis ecclesiis ad excipiendas fidelium confessiones admittere quoscumque Dioecesis Sacerdotes ab Ordinario approbatos modo illimitato et absoluto; secus dicendum si approbatio limitata esset ad certa loca, ad certas personas, vel ad tempus iam elapsum; ab hac enim limitatione Regulares nequeunt illos dispensare.

[1] L. III, c. I.

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 809; II, pag. 753.

89. - Circa idem Sacramentum a Regularibus recipiendum.

Oportet hic distinguere inter Regulares actu in Conventu degentes, et Regulares extra claustra commorantes, sive peregrinentur, sive dispersi sint, vel saecularizati.

I. Regulares *in Conventu actu commorantes,* licet illi Conventui addicti non sint, confiteri debent Sacerdotibus sui Ordinis a Superiore approbatis ac pro Sodalium confessionibus excipiendis designatis, nec ab aliis quibuslibet sive intra sive extra Conventum *valide* absolvi possunt, nisi habeant Superioris licentiam.

Tempore tamen Iubilaei concedi solet a Summo Pontifice ut Regulares viri ac mulieres, etiam non petita Superiorum licentia, cuilibet Sacerdoti approbato confiteri valeant; at nobis Sixtus V prohibuit ne sub quovis praetextu, etiam universalis Iubilaei, aut privilegiorum quorumcumque, ullum extra Congregationem nostram Confessarium eligere possimus, quamquam concedat ut tempore Iubilaei eligere valeamus Confessarium ab ipsa Congregatione approbatum in Collegio ubi invenimur, etiamsi non sit ut Confessarius Communitatis designatus [1].

Ex Decreto autem pluries citato Clementis VIII pro Regularium reformatione, non licet Superioribus Regularibus *subditorum confessiones* excipere, nisi cum isti peccatum *Superiori reservatum* commiserint, vel ipsimet subditi *sponte petant* confiteri Superiori; propterea duo vel tres Confessarii, praeter Superiorem, in singulis Conventibus designandi sunt, quibus omnes con-

[1] Breve anni 1586. Bullar. n. pag. 57.

fiteri valeant. Et in hoc sensu interpretanda sunt quae in Constitutionibus nostris habentur, lib. II, c. 4.

Iamvero facultas confitendi cuilibet Sacerdoti ab Ordinario loci approbato potest Regularibus concedi ab iis ipsis Ordinis Superioribus *qui facultatem habent deputandi Confessarios*, nisi obstet Statutum vel Constitutio Ordinis ipsius [1]. Apud nos Confessarii, in genere, approbantur a Praeposito Generali, post testimonium Capituli localis et Examinatorum ab ipso Generali deputandorum, supposita insuper, pro confessionibus extraneorum excipiendis, approbatione ab Ordinariis locorum obtinenda; Confessarii autem cuiusque Communitatis a Superiore locali proponuntur Provinciali, cuius est eos approbare. Porro Constitutiones nostrae (l. c.) addunt: « Nulli autem alii... cuiquam confiteri liceat... sine Superiorum consensu ». At nunc viget Decretum quo nostris permittitur ut confiteri valeant cuilibet ex Sodalibus ad confessiones audiendas approbatis, *extraordinarie* quidem sine petita venia, *ordinarie* vero de Superioris consensu. Pro extraneis autem Confessariis adeundis, si *extraordinarie*, sufficiet licentia Superioris localis; si *ordinarie* requiritur licentia Generalis, aut saltem, ex istius concessione, Provincialis. Quoad novitios tamen primi et secundi Novitiatus, standum est Decreto Clementis VIII, quo ipsis assignatur eorum Magister tamquam Confessarius ordinarius, extraordinarius autem a Superiore designandus est (§§ 36 et 39).

Controvertitur an Regulares, de Superiorum venia, possint confiteri Sacerdoti externo, etiamsi non sit ab Ordinario loci approbatus [2]; probabilius non possunt,

[1] Bizzarri, *Collectan.* ed. I, pag. 777; II, pag. 723; in nota.

[2] Cf. Ballerini in n. 174 Gury.

quia hic ex una parte iurisdictionem a suo Ordinario non habet, ut fert hypothesis, ex alia non potest eam obtinere a Praelato Regulari, cum non sit eius subditus. Sane, si agatur de simplici Sacerdote saeculari S. C. C. declaravit huiusmodi confessiones nec licitas esse, nec validas [1]; si vero sermo sit de Regulari a proprio Praelato tantum approbato, S. C. EE. et RR. solet in suis Indultis hanc formulam adhibere: *Indulget Religioso viro Oratori, ut quemcumque Confessarium, sive saecularem sive regularem, dummodo sit ex approbatis ab Ordinario loci, sibi eligere possit;* et cl. Bizzarri asserit se nullam invenire potuisse huic regulae exceptionem, dempta limitata concessione a Benedicto XIV et a Pio IX Cappuccinis facta, quamque refert [2].

II. Iam de confessionibus Regularium extra claustra degentium loquamur. Regularis *iter faciens*, si in itinere secum habeat socium sui Ordinis ad confessiones excipiendas idoneum, a Generali nempe approbatum, illi confiteri tenetur, nisi a Superiore obtinuerit licentiam cui voluerit confitendi; secus cuilibet Sacerdoti approbato confiteri poterit.

Pro Regularibus vero *suppressis*, sive *dispersis*, sive *parvas Communitates efformantibus*, Pius IX, die 1 Iulii 1862, respondit: « Religiosos suppressorum Conventuum, qui *hac de causa in Communitate non vivunt*, posse sibi eligere Confessarium quemcumque Presbyterum, sive ex Clero saeculari, sive ex Clero regulari, *dummodo sit ex approbatis* ad excipiendas confessiones ab Ordinario loci. Iis vero Religiosis... qui, licet a suis

[1] In *Hildemen.* 18 Sept. 1769.

[2] *Collectan.* ed. I, p. 778; II, p. 723.

Conventibus *electi*, tamen eo meliori modo quo fieri poterit *in Communitate vivunt*, Sanctitas Sua benigne tribuit Indultum eligendi sibi quemcumque Confessarium ut supra, *dummodo in ea non habeantur saltem quatuor Confessarii proprii Ordinis* [1].

Pro *saecularizatis* vero idem Summus Pontifex, die 27 Augusti 1852, probavit hoc responsum: « Regulares etiam ad tempus saecularizatos debere exomologesim suam facere penes Confessarios *approbatos ab Ordinario loci;* a quibus in actu Sacramentalis confessionis absolvi poterunt etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in Dioecesi reservata minime sint [2] », secus enim, ad eos ab illis casibus et censuris absolvendos, requireretur specialis facultas Ordinarii.

Quoad Sanctimoniales denique, exposito hoc dubio: « *Alle volte le Monache, o per motivo di salute, o per altra causa, ottengono il permesso di uscire a breve tempo dal loro Monastero,* **retento habitu**; *si domanda se possano in tale circostanza confessarsi dai confessori approvati dall'Ordinario* **pro utroque sexu**, *sebbene non sieno approvati* **pro Monialibus**: Sanctissimus in audientia habita die 27 Augusti 1852 mandavit rescribi: *affirmative*, durante mora extra Monasterium [3] ».

Concludimus hunc paragraphum de confessionibus Regularium his verbis Editoris Actorum Sanctae Sedis (vol. XIV, p. 274): Generatim Regularis potest propria peccata confiteri Confessario sui Ordini extraneo, si impossibile vel admodum difficile illi sit habere Confessarium suae Religionis.

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 169; II, pag. 155.

[2] Ib. ed. I, pag. 140; II, pag. 129.

[3] Ib. ed. I, pag. 141; II, pag. 129.

90. - Circa excipiendas confessiones Sanctimonialium.

Regulares, absque speciali licentia S. Congregationis EE. et RR. ab Ordinariis impetranda, eligi nequeunt in Confessarios ordinarios Sanctimonialium; sed ad id muneris eligendi sunt Sacerdotes saeculares maturae aetatis, qui nempe quadragesimum aetatis annum excesserint, nec tamen, salva speciali dispensatione, Parochi vel Canonici [1]. Id intelligendum est tantum de Monialibus strictiori sensu acceptis, quae nempe habent vota solemnia et pontificiam clausuram.

Ex Constitutionibus nostris (l. III, c. 4) nobis interdicitur Monialium cura; permittitur tamen earum confessiones *extraordinarias,* Episcopis petentibus, audire, atque Virginum Angelicarum Monasteriis etiam *ordinarios* Confessarios ex nostris concedere, dummodo praeter Sacramentorum administrationem, eorum Monasteriorum curae nihil aliud suscipiant. Sed Comitia nostra Generalia renovare solent Decretum quo Praeposito Generali cum sua Consultatione datur facultas tribuendi Monialibus in Monasterio degentibus Confessarium etiam *ordinarium;* aliis vero Superioribus denegatur facultas concendendi Monasteriis Confessarium ex nostris nisi per duos menses ad summum, etiamsi tribuatur, non pro toto Monasterio, sed pro quibusdam tantum Monialibus. In his omnibus casibus semper supponimus Ordinarii delegationem.

Si vero Moniales extra proprium Monasterium Confessarios quoscumque adeant in Ecclesiis seu publicis

[1] S. C. 12 Maii 1617, et 13 Iun. 1755. *Collectan.* ed. I, pag. 371 et 425; II, pag. 335 et 383.

Oratoriis fidelium confessiones audientes, audiri et absolvi possunt, sed moneri debent ne id faciant, saltem ordinarie, absque Superiorum licentia.

Confessarius *ordinarius* Monialium et Conservatorii Monasterio adnexi (etiam si Moniales de domo ad domum et de loco ad locum transferri possint, ac mulieres in Conservatorio degentes possint extra claustra exire) debet singulis trienniis mutari, nisi Episcopus a S. Congregatione obtineat facultatem eum confirmandi. Ad rem cl. Bizzarri: « Mandatum S. Congregationis de immutandis quolibet triennio Sanctimonialium Confessariis, approbante Gregorio XIV latum et deinde pluries innovatum, ex gravibus rationum momentis repetendum est; adeoque illius observantiam S. Congregatio sedulo diligenterque semper curavit. Sed, cum aliquando ex peculiaribus rerum adiunctis evenire possit ut confirmatio ad aliud triennium, non solum utilis, sed necessaria sit, hinc eadem S. Congregatio, audito Ordinario, et Sanctimonialibus capitulariter per secreta suffragia, in casibus particularibus confirmationem indulget ad secundum ac etiam ad tertium triennium; ea tamen conditione, ut pro confirmatione ad secundum triennium consensus duarum ex tribus partibus Monialium concurrat, et pro confirmatione ad tertium triennium omnium consensus accedat. Ordinarius vero de probitate vitae et prudentia Confessarii referre debet, et S. Congregationem certiorem facere de necessitate vel utilitate confirmationis » [1].

Confessarius autem *extraordinarius* Monialibus et Puellis in Monasterio educandis dari debet *bis, terve et*

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 14; II, pag. 13 in nota.

etiam quater in anno; cui omnes debent se *praesentare,* saltem ad monita salutaria recipienda, et ad actum subiectionis faciendum. Confessarii porro ordinarii, dum adest extraordinarius, nullius eiusdem Monasterii confessionem audire debent [1].

Permittitur insuper singulis Monialibus ut, praeter istam convocationem Confessarii extraordinarii pro tota Communitate, illum, aut alios ab Episcopo loci probatos, advocent [2], cum moderatione tamen, ne nimium multiplicetur in eodem Monasterio Confessariorum numerus, neve extraordinarius mutetur in ordinarium, absque gravi causa; talis enim abusus impediret unitatem directionis spiritualis et quandoque partes inter Sorores foveret. Revera S. C. EE. et RR. die 17 Aug. 1891, confirmans Praesules Regulares non posse subditis denegare Confessarium extraordinarium, quamvis videant necessitatem veram non esse, addidit: « sed subditi moneantur non posse extraordinarios Confessarios petere, nisi *ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant* (*Acta S. Sedis,* vol. XXV, pag. 110): et die 1 Febr. 1892 declaravit Moniales et Sorores quae constanter recur-

[1] Edictum Clem. XI, 12 Dec. 1708. *Collectan.* ed. I, pag. 326; II, pag. 293.

[2] En dispositionem decreti *Quemadmodum* auctoritate Leonis XIII editi die 17 Dec. 1890: « firmo remanente, quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum, quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in *Sess. 25, c. 10, de Regul.* et a S. M. Benedicti XIV statuitur in Constitutione quae incipit " *Pastoralis curae* " Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis Confessarium, quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur, *quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent.* Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios *exhortatur,* ut in locis propriae Dioecesis, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant ».

runt ad Confessarios adiunctos admonendas esse ab Ordinario « dispensationem Articuli IV Decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere, *pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur,* firmo remanente quod a S. Conc. Trid. et a Const. S. M. Benedicti XIV incip. *Pastoralis curae* praescriptum habetur (*Acta S. Sedis,* vol. XXX, p. 121) ».

De directione spirituali Monialium ex parte Superiorissae aut Novitiarum Magistrae, sicut et virorum regularium ex parte Superioris laici, seu non Sacerdotis, loquemur inferius (§ 102).

91. - Circa censuras et casus reservatos.

Quoad casus Summo Pontifici reservatos, quos *papales* vocant, Regulares, post Constitutionem *Apostolicae Sedis* a Pio IX emanatam, nullo gaudent privilegio, adeoque ab eis neminem absolvere possunt absque speciali facultate, nisi in mortis articulo aut quoties id valent etiam Confessarii non exempti: scilicet, quidquid sit de iure antiquo, hodie « post Decr. S. O. 23 Iun. 1886, S. Poenit. 7 Nov. 1888, 17 Iun. 1891, 19 Aug. 1891, 30 Mart. 1892, in casibus et censuris papalibus, sive simpliciter, sive *speciali modo* reservatis, per litteras recurrendum est ad S. Poenitentiariam, stante impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem. Quivis tamen simplex Sacerdos directe absolvere ab iis potest in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo Confessariorum conscientia oneratur, iniunctis de iure iniungendis, et sub poena reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epi-

stolam et per medium Confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. Idque valet etiam pro casu quo poenitens fuerit perpetuo impeditus Romam proficisci. Atque haec omnino obligant, et praxis contraria toleranda non est. Decretum hoc praxi innititur S. Poenitentiariae, et ad episcopales casus non spectat » [1].

At, ex decr. S. Inquis. diei 16 Iunii 1897 (a SSmo approb. et confirm. die 18 eiusd. mens. et an.) praeter *casus vere urgentiores,* in quibus absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiae, vel quia urget aliquid quod fieri nequit nisi in statu gratiae, qui irretitur censura Sum. Pont. reservata directe absolvi potest a simplici Confessario (utique cum obligatione recurrendi intra mensem ad Apost. Sedem, sub poena reincidentiae) *si durum valde illi sit in gravi peccato permanere donec petatur et obtineatur a S. Sede facultas illum absolvendi a reservatis.*

Possunt tamen Regulares exempti absolvere a casibus per Constitutionem *Apostolicae Sedis* Episcopis reservatis, et a censura canonis [2]; imo, *quoad suos subditos,* possunt, *per se* et vi exemptionis, illos absolvere ab omnibus casibus *papalibus* eodem modo iisdemque in casibus ac Episcopi suos Dioecesanos, nisi dispositio Iuris qua casus papalis fit episcopalis ad Episcopos *exclusive* spectet, ut non pauci sentiunt de facultate per Concilium Tridentinum Episcopis concessa absolvendi a casibus papalibus *occultis* [3].

[1] Bucceroni, vol. II, n. 800.

[2] Ib. vol. I, n. 277.

[3] In his omnibus exceptionibus minime comprehenditur casus absolutionis complicis in peccato turpi, hic enim est Summo Pontifici reservatus *specialissimo* modo.

A casibus vero *episcopalibus*, nempe ab Episcopo sibi reservatis, Regulares non possunt, absque Episcopi venia, fideles absolvere nisi in mortis articulo, etiamsi aliquis habeat facultatem absolvendi ab omnibus casibus papalibus. Attamen Regulares ipsi aliaeque personae *exemptae* reservationem episcopalem non incurrunt; adeoque, etsi ex Superiorum licentia vel ex concessione Iuris confiteantur Sacerdoti saeculari qui facultatem non habeat absolvendi a casibus Episcopo reservatis, possunt tamen ab iis absolvi, cum pro ipsis reservati non sint.

Praelati Regulares possunt, quoad proprios subditos, sibi reservare sequentes casus a Clemente VIII determinatos:

1° veneficia, incantationes et sortilegia;

2° apostasia a Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenit ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio;

3° nocturna et furtiva e Monasterio seu Conventu egressio, etiam sine animo apostatandi facta;

4° proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale;

5° iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo;

6° procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto;

7° falsificatio manus seu sigilli Officialium Monasterii aut Conventus;

8° furtum de rebus Monasterii seu Conventus, in ea quantitate quae sit peccatum mortale;

9° lapsus carnis voluntarius opere consummatus;

10° occisio vel vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae;

11° malitiosum impedimentum aut retardatio aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud praeterea peccatum grave, pro Religionis conservatione aut pro conscientiae puritate, reservandum videbitur, id non aliter fiat quam Capituli generalis in toto Ordine, aut provincialis in Provincia, matura discussione et consensu [1].

Urbanus VIII autem confirmans hoc decretum declaravit quod si Regularibus Confessariis, ad suorum Sodalium confessiones excipiendas deputatis, casus alicuius reservati absolvendi facultatem petentibus Superior dare noluerit, et illi iudicent concedi debere, possint Confessarii illa vice (idest *toties quoties,* ait cl. Bucceroni) poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere [2].

Praeterea, S. Congregatio die 7 Iulii 1617 declaravit praefatum Clementis VIII decretum comprehendere etiam censuras, v. gr. excommunicationem reservatam, ita ut iisdem Superioribus non liceat, absque consensu Capituli generalis aut provincialis, aliquibus peccatis in decreto non contentis annectere excommunicationem eiusdemque absolutionem sibi reservare [3].

Denique omnes Regulares utriusque sexus, tempore *interdicti generalis,* possunt privatim in suis Monasteriis divina peragere, ac Sacramenta suscipere; possunt etiam publice celebrare in pluribus festis, v. gr.

[1] 26 Maii 1593. *Collectan.* ed. I, pag. 274; II, pag. 246.

[2] 21 Sept. 1624.

[3] *Collectan.* ed. I, pag. 275 seq.; II, pag. 247.

Paschatis, Pentecostes etc. ut, ex S. Alphonso Maria de Liguori, docet cl. Bucceroni [1].

92. - Circa concedendas dispensationes et pronunciandas irritationes.

Aliud hac in re possunt Regulares cum suis, aliud cum extraneis.

Cum suis possunt *dispensare* 1° in omnibus *irregularitatibus occultis,* homicidio voluntario excepto; 2° in *irregularitatibus non occultis* quoad defectum animae, ob dementiam, si eius periculum cessaverit; et quoad defectum corporis, circa natalia (quae quidem irregularitas aliunde cessaret per ipsam religiosam professionem), nec non circa bigamiam et defectum publicae lenitatis; imo, ex S. Alphonso Maria de Liguori, possunt dispensare in quacumque irregularitate sive ob delictum sive ob defectum; et, ex Frassinetti, in omnibus *inhabilitatibus* et *poenis contractis ratione delicti,* etsi illae sint Summo Pontifici reservatae [2]: nobis sane Iulius III, anno 1550, concessit privilegium quoslibet poenitentes in actu confessionis dispensandi super omni irregularitate [3]; 3° circa *divinum officium,* quatenus infirmi et infirmarii huic obligationi satisfacere valeant recitando sex vel septem Psalmos a Superiore assignandos, cum septem *Pater* et duobus *Credo;* convalescentes vero, recitando eam divini officii partem quam eorum Confessarius iudicaverit: quatenus insuper ex rationabili causa Clericus non in sacris possit re-

[1] Vol. II, n. 277.
[2] Bucceroni, vol. I, n. 278.
[3] Bullar. n. pag. 23.

citare officium Conversorum, et Monialis chorista officium Conversarum (cf. §§ 74 et 101, ubi retulimus speciale privilegium nobis concessum); 4° circa *leges ecclesiasticas* in casibus, in quibus Episcopi possunt cum suis subditis dispensare; 5° circa *vota Novitiorum,* ut mox explicabimus.

At quid de *irritatione* votorum? Praelati Regulares nequeunt *directe irritare* vota Novitiorum sive ante tirocinium sive ipso durante emissa, quia Novitii ante professionem nondum sunt Religiosi; ea tamen possunt irritare *indirecte,* quando et quatenus talium votorum implementum impediat regularem Conventus administrationem; et hoc intelligitur quoque de votis Papae reservatis, minime vero de voto ingrediendi Religionem strictiorem, saltem iuxta quorundam opinionem. Possunt tamen ab illis votis cum Novitiis *dispensare,* modo ea non sint Papae reservata, etiamsi agatur de voto ingrediendi strictiorem Religionem, quod non est reservatum; sed id non possunt in Ordine non exempto, nisi hoc ius illis fuerit *per commissionem* concessum, aut *per legitimam consuetudinem* acquisitum.

Possunt denique *irritare* vota omnia post professionem a subditis emissa, exceptis votis ipsis Religionis, et aliis quae in quibusdam Ordinibus tribus consuetis adduntur ex regulae praescripto [1].

Cum extraneis Regulares possunt *dispensare* 1° in omnibus *irregularitatibus occultis,* sicut Episcopi; 2° in *votis* et *iuramentis* in quibus *iure ordinario* dispensare possunt Episcopi; minime tamen in votis Religionis, nec in quinque votis Papae reservatis, nec in

[1] Cfr. Craisson, a n. 2498 ad 2500, et a 3072 ad 3075.

iuramentis promissoriis a tertio acceptatis; 3° cum coniugibus, in actu confessionis sacramentalis, *circa impedimentum petendi debitum* propter incestum cum coniugis consanguineo vel consanguinea; sed Confessarius debet hanc dispensandi licentiam a Superiore, saltem locali, petere, qui poterit eam semel pro semper, sua administratione durante, concedere; imo tacite et implicite eam concedere censetur cum aliquem ex suis subditis ad fidelium confessiones excipiendas deputat; 4° *in voto castitatis,* in actu item confessionis, cum coniugibus in ordine ad *usum matrimonii,* dummodo hoc votum non fuerit mutuo coniugum consensu emissum, neque, in hoc casu, uterque dispensationem petat.

Iuxta aliquos, Confessarii Regulares possunt etiam, sicut Episcopi, dispensare in casu necessitatis, in eodem castitatis voto, *ad contrahendum matrimonium*, quae opinio non videtur improbabilis S. Alphonso M. de Liguori; in praxi tamen nemo prudens eam sequetur [1].

Qui potest a votis dispensare, potest, a fortiori, ea *commutare*. Porro, *commutatio,* si fiat *in melius* et, omnibus perpensis, Deo gratius opus, compleri *regulariter* potest ab ipso vovente quin recurrat ad alicuius auctoritatem, iuxta illam Iuris regulam « non propositum aut promissum infringit, qui in melius illud mutat »: *regulariter*, inquam, nam excipienda sunt quinque vota Papae reservata, quae in melius commutari nequeunt nisi in professionem religiosam; et tamen ipsa religiosa professio pro iis votis non suffragatur quae iuramento

[1] Cf. Bucceroni, vol. I, n. 280.

firmata sunt, neque pro iis quae sunt in favorem tertii et a tertio acceptata.

Commutatio voti *in opus aequale* vel *inferius* fieri non debet a Confessario sine rationabili causa. Vovens autem, post obtentam commutationem, potest redire ad opus quod prius promiserat, quia commutatio fit in favorem voventis. Quod si, post commutationem, materia subrogata fiat impossibilis vel inutilis, nulla est amplius obligatio exequendi prius votum commutatione ipsa extinctum; quod tamen verum est quando commutatio facta est aliena voluntate seu auctoritate; nam si facta sit propria voluntate redit primaeva obligatio, cum primum votum non fuerit extinctum in hoc casu sed complendum alterius operis praestatione [1].

Notandum insuper Confessarios Regulares non posse dispensare nec commutare vota simplicia Religionis nec votum perseverantiae in Religione, etiamsi vota illa sint temporaria; quia id verteret in praeiudicium tertii, nempe religiosi Instituti; praeterquam quod votum castitatis, si perpetuum sit, reservetur Summo Pontifici [2].

Nec quidem Praelatus Regularis potest disdensare vota simplicia Monialium quae sui Ordinis Regulam sequuntur, ut declaravit Pius IX die 9 Iunii 1824 [3].

Generatim, ut docet cl. Bizzarri, vota simplicia quae in aliquo Instituto vel Congregatione vel Domo emittuntur, sunt Apostolicae Sedi reservata, quia ab Instituto vel Congregatione recipiuntur, et naturam contractus seu reciprocae obligationis assumunt, et dispensatio praeiudicium tertii inducit, ideoque nonnisi a

[1] De Angelis, t. II, part. II, pag. 151, seq.

[2] Const. *Convocatis,* Bened. XIV, 27 Nov. 1744.

[3] *Collectan.* ed. I, pag. 145; II, pag. 133.

Summo Pontifice dispensari possunt. Hinc patet discrimen inter vota simplicia quae *private* emittuntur, et vota simplicia quae per *publicam* promissionem coram Superiore alicuius Instituti, eoque acceptante, fiunt. Verum Summi Pontifices, reservata sibi *absoluta* dispensatione, Superioribus Generalibus nonnullarum Congregationum votorum simplicium facultatem concesserunt super iisdem votis *in actu dimissionis tantum* dispensandi. Relate ad vota simplicia quae, iuxta encyclicam S. Congregationis super statu Regularium die 18 Martii 1857, professioni votorum solemnium praemitti debent, in declarationibus edicitur: « eorumdem votorum simplicium *dispensatio* reservata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt. Verum eadem simplicia vota *solvi* etiam possunt ex parte Ordinis *in actu dimissionis* professorum; ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant ».

In aliquibus Institutis seu Congregationibus votorum simplicium iuxta eorum Constitutiones vota ita emittuntur, ut illa perseverent donec professus in Instituto seu Congregatione permanserit; quo fit ut Institutum seu Congregatio professos dimittere, et ipsi pro eorum lubitu discedere possint. Unde qui aut sponte discesserint, aut prudenti Superiorum iudicio dimittuntur, eo ipso, et *sine ulla dispensatione,* praedictis votis *solvuntur.*

Tandem notandum est super voto simplici *perpetuae castitatis a muliere emisso,* non concedi a S. Congregatione *absolutam dispensationem,* sed dumtaxat commutationem cum dispensatione mixtam, ea praesertim

conditione quod si mulier viro suo supervixerit, alias nuptias minime inire possit absque nova S. Sedis commutatione [1].

93. - Circa administrationem SS. Eucharistiae, et Extremae Unctionis.

Prima Communio *ex iure communi* fieri potest per ministerium cuiuslibet Sacerdotis, etiam Regularis, et in quacumque ecclesia, quamvis non parochiali, imo vel in oratoriis privatis, dummodo ibi liceat Eucharistiam dispensare; et ad tanti Sacramenti sumptionem non admittantur incapaces aut indigni. « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint nemo melius constituere poterit quam pater et Sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percontari an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant ». Ita Catechismus Romanus.

Attamen si *ex iure particulari* alicuius Dioeceseos prima Communio facienda sit in ecclesia parochiali et post Parochi examen, Regulares nequeunt ad illam in suis ecclesiis non parochialibus admittere nisi Ephebos secum commorantes: pro alumnis vero externis debent obtinere facultatem ab Episcopo vel ab Apostolica Sede.

Praeterea, Regulares non possunt, absque Episcopi vel Parochi venia, in propriis ecclesiis non parochialibus Eucharisticum Sacramentum Christifidelibus dispensare *in die Paschatis*, quamvis pro pietatis studio,

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 502; II, pag. 453 seq.

non ad implendum praeceptum, petatur; sed possunt illud administrare propriis Sodalibus atque Convictoribus vel Convictricibus [1]. Romae autem excipitur quoque pro fidelibus externis *feria V in Coena Domini.*

Nec dispensantur a *Communione paschali* in propria Paroecia facienda famuli famulaeque Monialium in atriis Monasteriorum muro circumvallatis et Monasterio attiguis commorantes, licet ianua claudatur et atria illa censeantur in eo casu efficere partem Monasterii [2].

Viaticum vero et *Extremam Unctionem* Regulares administrare possunt Sodalibus Conventus, nec non saecularibus qui sint de familia et perpetui commensales secum commorantes, sive famuli sint sive ephebi; minime vero, absque Parochi licentia et extra casum necessitatis, extraneis, nec illis quidem qui, apud eos ut hospites vel alia simili causa commorantes, ibi graviter infirmantur [3]; sicut nec clericis Sacristiae inservientibus, nec *spenditrici* Monialium, aliisve famulis aut operariis in atrio commorantibus [4].

Inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatas, in Bulla *Apostolicae Sedis,* haec enumeratur, quae est n. XIV: *Religiosos praesumentes Clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.*

[1] Pius IX, 3 Sept. 1864.

[2] S. C. Conc. 17 Sept. 1822.

[3] Conc. Trid. Sess. 25, c. 1, *de Reg.* — It. Const. *Circumspecta* Greg. XIII. 17 Febr. 1649.

[4] S. C. C. 21 Ian. 1713.

94. - Circa Missae celebrationem, et circa satisfactionem praecepti illam audiendi in ecclesiis Regularium.

I. Non licet Regularibus admittere, contra prohibitionem Ordinarii, Sacerdotes extraneos vel indigenas, saeculares vel regulares, ad sacrum in suis ecclesiis faciendum; Episcopus enim potest prohibere ne sinant illos celebrare sacra mysteria nisi exhibeant litteras testimoniales ab ipso inspectas, si sint Dioecesi extranei; vel nisi, si indigenae, ab ipsomet habeant celebrandi facultatem [1].

Ceterum « Religiosi omnes, vi Constitutionis Pii V *Etsi Mendicantium,* tum in diebus dominicis vel festivis, tum in aliis totius anni temporibus, campanas quando eis placuerit pulsare possunt, et Missas celebrare et divina officia quando eis videtur facere possunt... etiam antequam Rector parochialis ecclesiae celebraverit. Et haec privilegia in desuetudinem non abiisse, sed adhuc in viridi observantia permanere, ex pluribus tum S. Congregationis EE. et RR., tum S. Congregationis Concilii resolutionibus constat, ut etiam ex recenti responso diei 11 Martii 1892 S. Congregationis EE. et RR. [2] ».

Circa horam Missarum celebrandarum, Regulares ex concessione Gregorii XIII gaudent privilegio sacrum faciendi, sed in propriis ecclesiis tantum, hora una ante auroram, idest tribus horis ante solis ortum; imo ex concessione Alexandri IV et Clementis VIII possunt, non quidem pro lubitu, sed iusta de causa, Missam ce-

[1] *Acta S. Sedis,* vol. II, pag. 157.

[2] *Acta S. Sedis,* vol. XXIV, pag. 565. De exceptione circa sonum campanarum in Missa Sabbati Sancti diximus § 85.

lebrare hora a media nocte secunda. Iisdem porro privilegiis uti valent etiam Sacerdotes extranei in ecclesiis Regularium sacra litantes.

Possunt quoque Regulares oratorium privatum intra claustra constituere, in quo Missam celebrent; sed Benedictus XIII prohibuit ne in suis privatis cellis seu cubiculis altaria erigant et Missam celebrent. Quod si in illo privato oratorio asservetur SS. Eucharistia (ut indulgetur saltem Collegiis publicam ecclesiam non habentibus, aut ubi, praeter illam, habetur oratorium internum pro ephebis) ne quis desuper habitet, aut saltem ponatur aedicula sive baldachinum super altare.

II. *Praecepto audiendi Missam* ab omnibus satisfieri potest in publicis ecclesiis et oratoriis Regularium, imo etiam in eorum oratoriis privatis [1]. Idcirco nequit Parochus cogere parochianos ut illi praecepto in parochiali ecclesia satisfaciant [2]. Nec ipse Episcopus iubere potest ut sui subditi adsint Missae parochiali, quia contraria consuetudo audiendi Missam in qualibet ecclesia, cum in toto orbe catholico vigeat, naturam induit iuris communis [3].

Potest tamen Episcopus prohibere ne Missa aliqua celebretur ante Missam parochialem, quatenus videat populos a Missa parochiali et concione retrahi [4].

95. - Circa funera et associationem cadaverum.

In primis agendum de funere *ipsorum Regularium,* sive in Conventu seu Monasterio, sive extra, deceden-

[1] Cf. Bouix et Bucceroni h. l.

[2] Bened. XIV. *de Syn. Dioec.* l. XI, c. 14, n. 7.

[3] *Acta S. Sedis,* vol. XI, pag. 604.

[4] Ib. vol. XIV, p. 410.

tium. Cum Regularis vita functus sepeliri nequit in proprio Conventu seu ecclesia, velut si obstet lex civilis, eius Sodales possunt illum deferre ad commune coemeterium cum stola, cruce et cantu, absque interventu Parochi, recto tamen tramite, et absque pompa, idest sine illa solemnitate quae consistere solet in associatione numerosi Cleri saecularis et regularis, Confraternitatum etc.; quae quidem solemnis associatio fieri non posset absque interventu et emolumentis Parochi. Non interdicitur tamen quominus cadaver comitetur a Sodalibus defuncti aut, si de Moniali agatur, a paucis Sacerdotibus vel Clericis, praesertim si aliquo modo vel titulo ad Monasterium pertineant [1]. Nota associationem cadaveris Sanctimonialis spectare ad Confessarium Monasterii, etsi Moniales sint Episcopo subiectae; et funus seu associationem fieri debere, sicut de Religiosis viris dictum est, sine pompa et recto tramite [2].

Quoad Regulares *suppressos,* aut hi sunt violenter dispersi, aut communiter vivunt; si de facto *dispersi* decedant, sicut ceteri fideles Parocho loci, quoad funera, subsunt [3]; qui vero *communiter vivebant,* si Ordo sit exemptus, quamquam fortuito extra claustra decesserint, et etiam si a Parocho ultima Sacramenta receperint, eius iurisdictioni minime subiiciuntur; et ideo eorum cadaver deferendum est, si commode fieri possit, ad aliquam sui Ordinis ecclesiam [4].

Funera saecularium qui forte in aliquo Conventu

[1] S. C. Conc. 24 Ian. 1846. *Acta S. Sedis,* vol. XX, pag. 108. — Item vol. III et VII. *Collectan.* passim.

[2] S. C. Conc. 23 Febr. 1872.

[3] S. C. EE. et RR. 26 Febr. 1864.

[4] S. C. 6 Maii 1870. S. C. C. 21 Aug. 1869. *Acta S. Sedis,* vol. V, pag. 127.

seu Monasterio ex hac vita migraverint, sive hospitio recepti, sive Regularium famuli, operarii, ephebi etc. extiterint (exceptis tantum novitiis, oblatis et famulis qui tamquam de familia et perpetui commensales fuerint) a Parocho loci fieri debent (cf. § 77). Sic, quoad ephebos, *in casu mortis,* S. C. EE. et RR. die 21 Iun. 1848 sustinuit iura Parochi contra Collegium nostrum Parmense.

Quoad associationem cadaverum extraneorum qui in Conventu seu Monasterio non decesserunt, quique tamen, aut eorum successores, elegerunt ecclesiam Regularium ut ibi eis iusta persolvantur, confer quae definivit S. Congregatio EE. et RR. die 10 Martii 1893, et additas conclusiones Editoris Actorum S. Sedis (vol. XXV, pag. 503). Generatim istorum cadavera sepelienda sunt a Parocho, quando exeunt ab ecclesia exempta. Potest quidem familia regularis illa ad coemeterium cum stola et cruce conventuali associare, sed quasi privatim, absque solemni pompa, et recto tramite. Ceterum, attendendae sunt leges synodales et locorum peculiares consuetudines, quando vim legis obtinent.

96. - Circa verbi Dei praedicationem.

Regulares quantumvis exempti publicam ad populum concionem habere non possunt, in suis quidem ecclesiis, *absque petita benedictione,* in aliis vero sine *obtenta licentia* Ordinarii, aut Parochi (Ordinario non prohibente) si bis terve tantum vel si Ordinarius absens sit et Religiosus tantum ut advena illuc accesserit. Sed quamquam generatim Regulares nequeant, contradicente Episcopo, praedicare verbum Dei, Episcopus non

debet contradicere nisi ex iusta et rationabili causa, et tantum si agatur de persona singulari, non autem de Communitate aut Ordine generatim, praesertim si illi praedicandi licentia iam concessa fuerit. Potest autem eam alicui Regulari denegare ex causis occultis, non tamen ex causis nullo modo ad praedicationem spectantibus. Sic etiam licentiam semel alicui concessam suspendere nequit nisi ob rationabiles causas praedicationem ipsam spectantes [1]. Quod si ex legitima causa alicui Regulari praedicandi licentiam deneget, vel eum ab hoc munere suspendat, non tenetur quidem illi aut eius Superioribus Regularibus causam manifestare; sed in casu recursus ad S. Sedem, huic id petenti illam patefacere debebit [2].

« Regulariter loquendo Episcopi non possunt prohibere quominus Religiosi doctrinam christianam pueris, et catechismum adultis publice tradant; possunt tamen determinare modum quo utraque res ab iisdem peragi queat, et prohibere ne doctrina christiana fiat eadem plane hora qua fit in Parochia » [3].

Diximus Regulares non posse *in propriis ecclesiis* concionari absque *petita benedictione* Episcopi; addimus eos posse concionari illa *non obtenta,* modo Episcopus positive non *contradicat; nemo* enim, ait Concilium Tridentinum, *contradicente Episcopo, praedicare praesumat* [4].

Quoad *horam* concionis habendae, Regulares prohiberi nequeunt quominus in suis ecclesiis eadem hora

[1] Clemens X, Const. *Superna,* 21 Iun. 1670.

[2] S. C. Conc. 6 Oct. 1603.

[3] *Acta S. Sedis,* vol. II, pag. 157 et 189, ex S. C. C. 30 Mart. 1726.

[4] Sess. 5, c. 2; et Sess. 24, c. 4. Item Bulla *Immutabilis* Greg. XV.

sermocinentur qua habetur concio in ecclesia parochiali, nisi huic intersit Episcopus loci, aut ipsemet ibi concionetur.

In casu quoque extraordinario Episcopus vetare potest ne aliqua determinata die Regulares in suis ecclesiis sermonem habeant, puta ut illa die populus totus ad ecclesiam cathedralem conveniat.

Superiores Regulares possunt Clericis sibi subditis, etiam nondum *in sacris,* imo nec tonsuratis, permittere ut in propriis ecclesiis sermocinentur, quamvis id ab Episcopo suis Clericis non permittatur; non decet tamen Clericis qui non sint saltem Diaconi gravissimum praedicationis munus committere, nisi agatur de brevibus sermocinationibus coram piis personis, et quidem raro habendis.

Regulares totam quadragesimam in suis ecclesiis concionaturi non tenentur saepius benedictionem Episcopi petere, sed sufficit si eam petant ante primam concionem.

Episcopi ius habent *examinandi* Regulares circa doctrinam, antequam illis permittant concionari *in ecclesiis Ordini extraneis;* nam *pro ecclesiis propriis* huiusmodi ius pertinet ad Superiores Regulares [1].

Denique, huic dubio: « An ad *crates* ecclesiae, seu *collocutorii,* aut alibi, liceat Commissariis Monasteriorum sermonem aut concionem habere ad Moniales sine Episcopi licentia », S. Congregatio Concilii, die 8 Maii 1751, respondit: *Affirmative, pro solis Monialibus, et ianuis clausis.*

[1] S. C. Conc. 18 Dec. 1610.

97. - Circa Regularium Ordinationes.

Regulares ordinandi recipiunt litteras dimissoriales, non ab Episcopo, sed a propriis Praelatis. Ordinari autem debent ab Episcopo loci; at, si Sedes vacet vel Episcopus loci ordinationem non habeat, Superior potest dare litteras dimissorias ad alium Episcopum, non tamen ad hunc finem de industria differre subditorum ordinationem; ideo in praefatis casibus Regularis ab alio Episcopo ordinari non potest, nisi praebeat attestationem Vicarii Generalis, vel Cancellarii seu Secretarii sui Episcopi circa impedimentum; secus, Ordinans et Ordinatus incurrunt poenas contra ordinationem sine dimissoriis latas. Nec sufficit quod proprius Episcopus generaliter testetur se non tenere ordinationem *extra tempora statuta*, sed debet testari se *proximo legitimo tempore* ordinationem minime habiturum. Contraria consuetudo omnino non admittitur a S. Sede, sed habetur ut corruptela quae disciplinae ecclesiasticae nervum disrumperet [1].

Regularis autem ille debet, antequam ordinetur, se subiicere examini Episcopi eum ordinaturi [2].

Sunt porro Regulares qui speciali privilegio fruuntur suscipiendi ordines, non solum *extra tempora* et cum dispensatione ab *interstitiis* (quae quidem privilegia communia sunt omnibus Religionibus formalibus), sed etiam a quocumque Antistite catholico. Requiritur tamen (ut declarat Benedictus XIV in sua Constitutione *Impositi* d. 27 Febr. 1746) 1° ut hoc privilegium

[1] *Acta S. Sedis*, vol. XXI, pag. 364.

[2] Bened. XIII *In Suprema*; S. C. sub Clem. VIII, et Bened. XIV, Const. *Impositi*, 1746.

sit concessum post Concilium Tridentinum; 2° ut habeatur *directe*, non per ordinariam communicationem [1]. Remanet semper obligatio subeundi examen ab Episcopo ordinante, et procedendi cum debita reverentia erga Ordinarium loci, ubi residet Regularis ordinandus [2].

Quod si Monasterium nullius Dioecesis sit, Regulares illius Monasterii ordinari debent ab Episcopo viciniore, vel ab illo cuius forte Dioecesis undique Monasterium circumdat; et si Episcopus sine causa recuset, recurrendum est ad Apostolicam Sedem.

Huic dubio: « An Episcopus possit vel etiam teneatur habere ordinationes *extra tempora*, quando id a Regularibus requiritur », S. Congregatio, die 18 Iulii 1732, respondit: *Episcopum posse, sed non teneri* [3].

Quoad Regulares simplicia tantum vota professos, speciales habentur dispositiones; nempe: 1° In Religionibus formalibus Superiores possunt suis alumnis dare litteras testimoniales ut sacram tonsuram et Ordines minores suscipiant, antequam nuncupent vota solemnia; minime vero, salva speciali S. Sedis dispensatione, ut admittantur ad Ordines sacros. Et si isti alumni e Sodalitate dimittantur, subiici debent iurisdictioni Episcopi cui ante ingressum in Religionem subdebantur [4].

2° In Institutis seu Congregationibus quae habent tantum vota simplicia, requiruntur dimissoriae vel te-

[1] Canonici Reg. Lateranenses possident hoc speciale privilegium. Iamvero eorum privilegiis, ex concessione Pauli III participamus quasi si *directe* nobis concessa fuerint.

[2] Cf. *Acta S. Sedis*, vol. XXI, pagg. 359-365.

[3] *Collectan.* ed. I, pag. 380; II, pag. 344.

[4] Pius IX, Const. *Ad universalis* 1862, — S. C. 20 Ian. 1860, et 6 Martii 1864.

stimoniales ad normam Constitutionis *Speculatores* Innocentii III, si velint ordinari [1]; attamen ad Ordines sacros admitti nequeunt nisi post emissa vota perpetua vel post tres annos a professione et nisi *(quod quidem valet etiam pro Religionibus formalibus)* annum theologiae pro Subdiaconatu, duos annos pro Diaconatu, tres pro Presbyteratu perfecerint [2]. Possunt tamen Provinciales libere alumnos transferre de domo in domum, iuxta Constitutiones proprii Instituti a S. Sede approbatas, independenter ab Episcopo loci, non obstante promissione obedientiae illi in actu ordinationis facta. Si vero ob dimissionem vel dispensationem ab Instituto discedant alumni illi, recidunt sub iurisdictionem Episcopi cui subiiciebantur antequam Instituto nomen darent [3]. Cetera quae respiciunt Regulares *dimissos* vel *eiectos* in sacris constitutos, inferius pertractabimus (§ 115).

Hic absolvemus quaestionem de Ordinatione Regularium notando S. Congregationem per suam Encyclicam Epistolam diei 9 Octobris 1682 praescripsisse *decem dies* exercitationum spiritualium pro Ordinandis *quibuscumque* [4].

98. - Circa assistentiam Synodis Dioecesanis, librorum impressionem, collationes casuum conscientiae et Sacrae Scripturae lectionem.

I. *Synodo Dioecesanae* interesse non tenentur Regulares exempti qui generalibus sui Ordinis comitiis sub-

[1] *Acta S. Sedis*, vol. XVI, pag. 261.

[2] S. C. 4 Nov. 1892.

[3] S. C. 6 Mart. 1864.

[4] *Collectan.* ed. I, pag. 416; II, pag. 374.

duntur, nisi forte curam gerant alicuius parochialis ecclesiae; quia Parochus regularis pendet ab Episcopo in omnibus ad animarum curam spectantibus [1].

II. *Quoad librorum impressionem* Regulares, etiam exempti, subiiciuntur auctoritati Ordinarii et Inquisitoris loci in quo libri edendi sunt. Romae vero liber imprimendus debet examinari per Cardinalem Summi Pontificis in Urbe Vicarium, ac a Magistro S. Palatii, vel a censoribus ab iis delegatis. Approbatio autem librorum concedi debet gratis, cum propria approbantis subscriptione, et sine irrationali dilatione [2]. Hoc non dispensat ab approbatione Superiorum Ordinis, quae ceteras antecedere debet, et apud nos a solo Praeposito Generali super relatione scripta Examinatorum ab ipso delegatorum danda est; quamquam ipse pro scriptis minoris momenti hanc facultatem possit etiam Superioribus inferioribus communicare. Quod si in aliqua Dioecesi Episcopus nolit sese librorum edendorum examini et approbationi immiscere, sufficit Regularibus approbatio Superiorum Ordinis [3].

III. *Ad collationes casuum conscientiae* Episcopus non potest cogere Regulares exemptos, nisi sint Curati [4]; cum ipsimet Regulares eas inter se habere teneantur, ut mox dicemus.

IV. *Lectio S. Scripturae* habenda est in Conventibus ubi studia commode vigere possunt: *Monachi* tamen

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 2 *de Reform.*

[2] Reg. X Indicis.

[3] « Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, S. Concilii decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato cui subiacent obtinere. Utraque autem concessio in principio aut in fine operis imprimatur (Nova decreta *Indicis*, tit. II, c. 1, n. 36) ».

[4] S. C. 15 Ian. 1682 : 8 Nov. 1752. S. C. C. 12 Maii 1585, et 12 Mart. 1718.

possunt ab Episcopo, ut Sedis Apostolicae delegato, obligari ad habendum S. Scripturae lectorem seu professorem. Lectio huiusmodi a Capitulis generalibus vel provincialibus assignanda est dignioribus Magistris [1].

Porro S. Congregatio super Regulari Disciplina, in sua Epistola diei 8 Novembris 1732, haec pro Regularibus Italiae et Insularum adiacentium praescripsit: « Colla presente ordina a tutti i Superiori Regolari « d'Italia e delle isole adiacenti l'esatta osservanza « del... Decreto di Clemente VIII e delle loro Costitu- « zioni circa la lezione della morale e la conferenza « dei casi di coscienza da farsi impreteribilmente in « tutti i Conventi del loro Ordine, tanto in quelli nei « quali vi è la sufficiente Famiglia, quanto nei piccoli « Conventi, *dove però vi sono Confessori Regolari « approvati dai Vescovi per ascoltar le confessioni dei « secolari.* E coll' espressa condizione che *qualora dentro » i chiostri non venissero eseguiti ad unguem i Decreti « di Clemente VIII e le Costituzioni dell' Ordine..., in « detto caso sieno tenuti ed obbligati i Confessori sud- « detti Regolari di assistere ed intervenire alla confe- « renza dei casi stabilita dai Vescovi* ».

Atqui in supra memorata Constitutione Clementis VIII, quae est diei 25 Iunii 1599, et incipit *Nullus omnino*, legitur: « Lectio S. Scripturae, vel casuum conscientiae bis in hebdomada praescriptis diebus in singulis Monasteriis et Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant [2] ».

[1] Conc. Trid. sess. 5, c. 1 *de Reform.*

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 827; II, pag. 770.

Celebre hoc decretum *de Reformatione Regularium* omnes certe Religiosos obligat, (nisi ab eo dispensentur per speciale privilegium) etiam extra Italiam insulasque adiacentes, quamquam nonnulla contineat quae videntur potius directiva quam praeceptiva. Ceterum, quoad ea quae hic praescribit circa lectionem S. Scripturae et casuum conscientiae collationes, eius scopum satis superque assequemur si maiorum consuetudini inhaerentes haec omnia observemus: 1° ut saepe diebus dominicis ac festis in ecclesiis nostris S. Scripturam legamus, vel saltem Evangelium diei explicemus; 2° ut quotidie fere in Coenaculo legamus paginam S. Scripturae, praesertim Novi Testamenti; 3° ut in nostris theologicis Scholis fiat cursus S. Scripturae, nec non cursus theologiae moralis, quae antiquitus casuum conscientiae nomine veniebat; 4° ut in singulis Collegiis alternis hebdomadis, quo tempore non vacatur a scholis, collatio inter Sacerdotes habeatur casuum conscientiae seu de re morali; 5° ut saepe legatur in Coenaculo ex aliquo probato Auctore casus conscientiae cum relativa solutione.

99. - Circa iudicium super validitate professionis, executionem ultimae voluntatis, et administrationem bonorum Sanctimonialium.

I. *In causis nullitatis professionis* iudicium pertinet ad Episcopum *coniunctim* cum Praelato Regulari, nisi causa directe deferatur ad Apostolicam Sedem.

II. In reddenda ratione *executionis piae ultimae voluntatis*, Regularis exemptus, qui illam executionem

gessit, subiicitur Ordinario [1]; est enim officium Iudicis ecclesiastici piarum voluntatum testatorum defensionem suscipere, et curare ut fideliter executioni mandentur [2].

III. Sanctimonialium Monasteria Sedi Apostolicae immediate subiecta regi debent ab Episcopo tamquam S. Sedis delegato, quoad gubernationem spiritualem, non autem quoad administrationem temporalem; attamen administratores Monasteriorum exemptorum, sive saeculares sive regulares sint, *rationem huiusmodi administrationis* Episcopo reddere tenentur.

100. - Circa ecclesiastica munia et dignitates.

Beneficia curata a Regularibus suscipi posse, et quid iuris Parochis Regularibus et Episcopo Dioecesano competat, iam vidimus (§ 79).

At praeterea Regulares eligi possunt in *Examinatores Generales* [3], nec non in *Vicarios Generales*, aut etiam *Capitulares*, cum licentia tamen Superioris Regularis ac S. Sedis, praesertim si ideo debeant extra claustra degere; item ad *gradus academicos* et ad officium *Lectoris* seu *Professoris in publicis Universitatibus*, si eorum Superiores in id consentiant, et nisi obstent, ut apud nos, Constitutiones Ordinis [4]. Possunt insuper elevari ad *Episcopatum, Cardinalatum* aliasve

[1] Clement. unica *de testam.*

[2] *Acta S. Sedis,* vol. II, pag. 333 et 339.

[3] Conc. Trid. Sess. 24, c. 18.

[4] Const. l. III, c. 5. Huic tamen Constitutioni, ex Decreto Capitulorum Generalium, Praepositus Generalis, de Assistentium consensu, potest derogare.

ecclesiasticas dignitates, modo non obstet votum aut iuramentum de iis minime recipiendis, quin adsit legitima ab his dispensatio, vel etiam praeceptum Summi Pontificis. Nos, post solemnem professionem, iuramus quod neque Praepositi dignitatem, neque aliquod officium quod huiusmodi dignitati ex Constitutionibus in Congregatione praeferatur, *nobis mandari curabimus;* neque item aliquam dignitatem eodem modo *extra Congregationem quaeremus aut sine praecepto Summi Pontificis accipiemus*. Hoc tamen iuramentum, quatenus respicit dignitates ecclesiasticas extra Congregationem oblatas, interpretatur factum in favorem Congregationis; unde si Congregatio libenter consentiat ut quis ex nostris dignitatem ecclesiasticam sibi oblatam accipiat, iam praeceptum Summi Pontificis, iuxta hanc interpretationem, superfluum videtur. At de Episcopis et Cardinalibus Regularibus inferius sermo est nobis habendus (§ 110).

101. - De praecipuis privilegiis nostrae Congregationis.

Praeter communicationem privilegiorum aliorum Ordinum in genere, de qua locuti iam sumus (§ 77, II), et, in specie, privilegiorum quae concessa fuere vel concedenda sint Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis [1], et Clericis Regularibus Congregationis Theatinae [2], (quae postrema *pariformiter* et *principaliter,* non *ad instar* nobis communicantur, et comprehendunt privilegia ceterorum Ordinum, etiam Mendi-

[1] Paulus III, an. 1535. Bullar. n. pag. 9.
[2] Greg. XV. an. 1621. Bullar. n. pag. 66.

cantium et Societatis Iesu, ut constat ex Bulla *Immarcescibilem* a S. Pio V anno 1567 data, aliisque Pontificiis concessionibus quae ibidem citantur et firmantur) haec sunt praecipua privilegia Congregationi nostrae concessa:

I. Congregatio, vel a sua origine, immediate et in perpetuum Apostolicae Sedi subiicitur [1].

II. Superiores veniam facere possunt subditis, non solum *infirmis* et *infirmariis*, sed etiam *aliis Clericis* in praedicatione verbi Dei, audientia confessionum et Sacramentorum administratione, vel sacris studiis ad animarum profectum pro tempore valde occupatis, ut loco horarum canonicarum, septem vel sex Psalmos cum divisione, a Superiore ipso designandos, et insuper orationem dominicam septies ac symbolum apostolicum bis recitare valeant. *Graviter* vero *aegrotantibus* concedere possunt ut pro divino officio orationem dominicam semel et salutationem angelicam septies recitent. Possunt denique cum subditis dispensare, aliqua interveniente legitima causa, super praeventione vel postpositione temporis recitationis horarum canonicarum [2].

III. In favorem Congregationis transitus nostrorum ad alium Ordinem, praeter Carthusianum, interdicitur [3].

IV. Indulgentia plenaria, consuetis conditionibus lucranda, conceditur:

1° **Omnibus** aliquam ex nostris ecclesiis visitantibus *tempore Capituli Generalis* [4]; et praeterea in *festis*

[1] Paulus III, an. 1543. Bullar. n. pag. 14-16.
[2] Iul. III, an. 1550. Bullar. n. pag. 17.
[3] Greg. XIII, an. 1577. Bullar. n. pag. 32.
[4] Pius IX, 1856. Bullar. n. pag. 149.

B. Mariae V. a Providentia, Dominica II Novembris [1]; S. Ioseph, Sponsi B. M. V. [2], et Patrocinii eiusdem Sancti, Dominica III post Pascha [3]; Conversionis et Commemorationis S. Pauli Apost. [4]; S. Caroli Borromei [5]; S. Francisci Salesii [6]; B. Alexandri Saulii [7];

2° **Nostris Sodalibus,** pro unoquoque, *in die* suae solemnis *professionis;* pro visitatis, *in fine S. Visitationis* a Praeposito Generali vel a Generalibus Visitatoribus peractae, dummodo ab ipsis Visitantibus haec Indulgentia conferatur, seu promulgetur; pro cunctis, *in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli,* et *in mortis articulo;* et in hoc ultimo casu, si non valent recipere Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, sufficit ut contriti dicant, ore vel saltem corde: « Iesu, miserere mei » [8].

V. Uni ex nostris inter *Consultores S. Rituum Congregationis* perpetuus locus assignatur [9].

VI. Praepositus Generalis *altare privilegiatum* perpetuum in nostris ecclesiis assignare potest, dummodo sit dicatum B. Mariae V., vel S. Paulo Ap., vel S. Carolo Borromaeo [10].

VII. Quodcumque altare ecclesiarum nostrarum est *privilegiatum,* cum Sodalium nostrorum defunctorum animabus iusta solvuntur [11].

[1] Clem. XIV, an. 1769, Bullar. n. pag. 127.
[2] Ib.
[3] S. R. C. 1872. Bullar. n. pag. 154.
[4] Inn. XI, an. 1677. Bullar. n. pag. 91.
[5] Clem. XIII, 1763. Bullar. n. pag. 123.
[6] Clem. XII, 1773. Bullar. n. pag. 108.
[7] Clem. XIV, 1771. Bullar. n. pag. 120.
[8] Sixtus V, 6 Ian. 1586. Bullar. n. pag. 56.
[9] Bened. XIII, 1725. Bullar. n. pag. 99.
[10] Bened. XIV, 1747. Bullar. n. pag. 111.
[11] S. R. C. 1750. Bullar. n. pag. 115.

VIII. Pro anniversario omnium defunctorum Sodalium Congregationis Missam solemnem canere possumus in una ex diebus octidui Omnium Defunctorum initio mensis Novembris, etiamsi officium sit ritus duplicis, non tamen primae nec secundae classis, neque in festo de praecepto servando [1].

IX. Praepositus Generalis, ut iam alibi diximus (§ 83), constituere potest in Collegiis nostris Confraternitates B. Mariae V. pro viris tantum [2]; item, Sodalitia B. M. V. a Providentia, pro fidelibus utriusque sexus, ubilibet per decretum Ordinarii erecta aggregare Archisodalitati eiusdem nominis in nostra ecclesia SS. Blasii et Caroli de Urbe [3]; nec non communicare aliis ubilibet ecclesiis privilegia piae Sodalitatis pro reditu Ecclesiae Greco-Ruthenae ad catholicam unitatem, Parisiis in nostra ecclesia constitutae [4].

De aliis privilegiis iam alibi verbum fecimus, velut de privilegio benedicendi sacra paramenta (§ 86), *vota irritandi* et *dispensandi* etc. (§ 92).

[1] S. R. C. 1877. Bullar. n. pag. 182.
[2] Bened. XIV, 1752. Bullar. n. pag. 117.
[3] Greg. XVI, 1839. Bullar. n. pag. 137.
[4] S. R. C. 1872. Bullar. n. pag. 158.

CAPUT XIII

DE INTERNO REGULARIUM REGIMINE, AC BONORUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONE

SUMMARIUM. — 102. De multiplici Superiorum Regularium potestate. — 103. De sacra Visitatione a Praelatis Regularibus peragenda. — 104. An Superiores possint quidquid bonum in se est praecipere, et specialiter obligare mitigatos ad regulam primitivam. — 105. De Praelatorum institutione, depositione, ac ab officio abdicatione; ubi de officiorum incompatibilitate. — 106. De Congregationis nostrae regimine per Capitula generalia, provincialia, localia; per Superiores, Officiales, Vocales omnes. — 107. De ratione apud nos servanda in electionibus et in communibus deliberationibus: ubi de Scrutatoribus. — 108. De Actis Capitulo nostro Generali praemittendis. — 109. De bonorum temporalium administratione, alienatione, permutatione, locatione, conductione etc.

102. - De multiplici Superiorum Regularium potestate.

Quadruplex distingui solet in Superioribus Regularibus potestas, voti nempe, dominationis, iurisdictionis et coercitionis.

I. Potestas *voti* illa dicitur quae Superiori competit vi voti obedientiae a subditis emissi. Innititur virtuti religionis, dum aliae potestates innituntur iustitiae.

II. Potestas *dominativa* seu *simplicis regiminis* est ius dirigendi Sodales ad bonum commune Sodalitatis. Emanat in abstracto a generica natura societatis humanae, cum nulla societas consistere possit absque relativa auctoritate adeoque absque aliquo Superiore

qui hanc exerceat; in concreto autem emanat ex facto libero associationis; ex eo nempe quod Religiosi talem regulam professi sint, seseque tali Religioni donaverint cum promissione saltem implicita seu tacita obediendi Prelatis eiusdem; unde sequitur pro istis ius imperandi, pro illis vero parendi necessitas.

Haec dominativa potestas non potest in sensu proprio vocari *iurisdictio* ecclesiastica, sed potius assimilatur potestati patrisfamilias in societate domestica; ideo competit Superioribus cuiuscumque religiosae Sodalitatis utriusque sexus, etiam earum quae in sensu latiori ac minus proprio Religiones vocantur.

III. Potestas *iurisdictionis* proprie dictae est ius dirigendi subditos in ordine ad vitam aeternam a Christo Ecclesiae traditum et ab Ecclesia, seu ab eius Pontifice Summo, religiosis familiis communicatum. Est igitur potestas publica seu politica, pertinens ad *claves Ecclesiae,* et comprehendit ius, non gubernandi modo, sed et generalia decreta ferendi, nec non iudicandi ac puniendi, quae duo postrema constituunt potestatem *coercitivam,* de qua inferius.

Iamvero omnes Religiosi exempti subiiciuntur *iurisdictioni* Superiorum Ordinis, quatenus hi sunt *delegati* seu *commissarii* Summi Pontificis, adeoque veri *Praelati* seu *Pastores ordinarii,* quibus ex officio incumbit cura Sodalitatis Romano Pontifici immediate subiectae, atque competit, non quidem de iure divino, sed ex iure positivo Pontificio, iurisdictio *quasi-episcopalis* (recole § 78).

In Congregationibus vero seu Institutis virorum quae non habent vota solemnia, Superiores, generatim loquendo et salvis specialibus privilegiis, habent tan-

tum potestatem *voti* et *dominationis*, non autem potestatem *iurisdictionis*, et ideo non sunt *Praelati* proprie dicti, eorumque Sodalitates iurisdictioni Episcoporum subdi generatim solent.

A fortiori dicendum est *Abbatissas* ac *Superiorissas* Monialium carere iurisdictione proprie dicta, quippe mulieres potestati clavium minime participant, nec ad ecclesiasticam hierarchiam ullo modo pertinent. Moniales igitur subduntur iurisdictioni Episcopi, vel, si exemptae sint, iurisdictioni Praelati Regularis eiusdem Ordinis.

Nota Praelatos Regulares uti potestate *voti*, cum aliquid *formaliter* praecipiunt, scilicet nomine Dei et in virtute sanctae obedientiae; potestate vero *iurisdictionis* cum decreta generalia aut leges ferunt, vel cum dispensant, iudicant, puniunt saltem in gravioribus; ordinarie tamen non uti nisi potestate *dominativa*, cui participant, subordinate et tantum quoad propria officia, superiores subalterni seu Officiales aliquam habentes in Conventu auctoritatem. In conflictu autem iurium, praevalet ius Superioris maioris, adeoque parendum est Superiori locali prae aliis Collegii officialibus, provinciali prae locali, generali prae provinciali.

Huc refertur quod statuit atque praescripsit Leo XIII in suo Decreto *Quemadmodum* die 17 Dec. 1890 circa directionem spiritualem Monialium ex parte Superiorissae et Fratrum ex parte Superioris laici, seu non Sacerdotis.

« Sanctitas Sua irritat, abrogat et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum piarum Societatum, Institutorum mulierum (sive votorum simplicium sive solemnium), nec non

virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, *in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo aut nomine respiciunt.* Ita propterea serio iniungit Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

« Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi (*EE. et RR.*) ab iis fieri debeat.

« *Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi,* Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones *dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.*

« Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim

curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et, *quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit* [1].

Observatio istius Decreti, etiam illius partis quae respicit advocationem Confessarii extraordinarii (§ 90), praecipitur sub poenis latis contra Superiores mandata Apostolicae Sedis violantes, et ipso facto incurrendis.

Decretum verti debet in vernaculum sermonem, Constitutionibus Instituti inseri, et saltem semel in anno publice legi (Cf. *Acta S. Sedis*, vol. XXIII, pag. 505 seqq.).

IV. Potestas *iudiciaria* et *coercitiva*, ius scilicet iudicandi et puniendi, in sensu proprio et stricto non competit nisi Superioribus Ordinum exemptorum, quia isti tantum possident ecclesiasticam iurisdictionem adeoque ipsis solis competit potestas coercitiva *episcopalis;* quod quidem intelligendum est etiam de Praelatis inferioribus, sive provincialibus sive localibus, nisi haec potestas eis auferatur aut limitetur in quibusdam casibus ex iure speciali Ordinis. Diximus: *in sensu proprio et stricto;* nam omnes Superiores habent aliquam potestatem corrigendi et coercendi subditos; sed qui carent

[1] S. C. die 17 Aug. 1891 declaravit *abrogatas censendas esse Constitutiones, quibus vetatur ne Moniales sive Religiosi S. Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies* (*Acta S. Sedis* v. XXV, p. 111).

iurisdictione proprie dicta, carent etiam potestate *iudiciaria*, adeoque, saltem ex iure communi, nequeunt subditos *coercere* nisi *paterno modo*, ex potestate *dominativa*, qua gaudent etiam patresfamilias erga proprios filios. *Praelati*, e converso, possunt subditos coercere per quascumque *censuras* quae iusta de causa *personis* infligi possunt, nec non per *inhabilitates* sive ab iure communi propter certum delictum determinatas, sive a potestate dominativa Ordinis dependentes; non tamen per *interdictum locale*, neque per *irregularitates* proprie dictas. Possunt pariter punire delinquentes operibus duris et abiectis, poenitentiis rigidioribus, v. gr. flagellatione et carcere; ac denique si agatur de subdito vere *incorrigibili*, procedendo, servatis servandis, ad *expulsionem* (cf. §§ 56 et 57).

At quoties poena excedit limites potestatis *dominativae*, velut cum agitur de infligendis censuris, de privatione perpetua vocis activae et passivae, de flagellatione et carcere, de expulsione ab Ordine, Praelatus procedere debet contra reum *iuridice*, servando saltem formam *iudicii summarii*, ut iam de expulsione diximus (§ 57); servando scilicet essentialia iuris, praesertim denunciationem reo faciendam eorum de quibus accusatur, cum libertate se defendendi [1]. Non excluditur tamen aliquando, v. gr. in casu suspensionis ab excipiendis confessionibus, sententia *extraiudicialis* seu *ex informata conscientia*, ob delicta occulta: nec exigitur formalis processus ad dimittendos professos votorum simplicium in Religionibus formalibus vota solemnia praecedentium (§ 56).

[1] Cf. Craisson, n. 6002 et 6408, aliosque Canonistas.

Apud nos, pro infligendis poenis in canonibus poenitentialibus enumeratis nulla praescribitur formalitas.

Quoad *excommunicationem* vero, de qua praefati canones silent, notanda sunt haec S. Thomae verba: « Excommunicatio ad forum exterius pertinet, et ideo illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali; et propter hoc soli Episcopi et *maiores* Praelati secundum communiorem opinionem, possunt excommunicare [1].

Demum, quaecumque sit poena subdito inflicta, hic potest contra inferioris Praelati sententiam habere *recursum* ad Praelatum maiorem, vel ad Apostolicam Sedem; sed interim impositam sibi poenam luere debet. Quod si agatur de poena *acerba* vel *infamante*, et aliunde sententia sit *manifeste iniusta* (in dubio enim parendum est), habet quoque ius *appellationis*, per quam executio sententiae suspenditur; sed contra sententias quae nec acerbas poenas nec infamiam inducunt, aut quae non sunt manifeste iniustae, Regularibus *appellare* non licet [2].

103. - De Sacra Visitatione a Praelatis Regularibus peragenda.

Visitatio canonica consistit in inquisitione de praesenti circa vitam et mores subditorum, ut delinquentes coerceantur, et opportunis mediis vitae sanctitas ac regularis disciplina in Ordine promoveatur.

Iamvero ex Concilii Tridentini decreto Superiores Regulares *tenentur suae Congregationis Monasteria*

[1] Sum. Theolog. Supplem. q. 22, art. 1.

[2] Cap. *Reprehensibilis, de appellationibus.*

frequenter visitare, et illorum reformationi incumbere [1]. Sufficit vero si Visitatio *ordinaria* semel in anno fiat [2], nisi Ordinis statuta frequentius fieri requirant.

Apud nos, Praepositus Generalis, vel per se vel per alium a se delegatum, totam Congregationem semel in triennio visitare tenetur; Provincialis autem debet quotannis semel saltem visitare omnia suae Provinciae Collegia quae nec Praepositus Generalis nec Visitatores Generales visitaverint; hi vero Generales Visitatores, iuxta Constitutiones nostras, universam Congregationem bis in anno visitare deberent, sed semel tantum ea Collegia in quibus Praepositi Generalis visitatio fiat; et quae valde longinqua sint, arbitrio Praepositi Generalis. Id quidem praescriptum fuerat quando Visitatores Generales duo tantum erant; cum vero ex decreto Alexandri VII tot nunc sint quot sunt Provinciae, ubi istae exiguo constent Collegiorum numero satis existimatur si unusquisque semel in triennio suam Provinciam visitet.

Visitatores Generales possunt quidem in actu Visitationis decreta edere, eorumque executionem Praepositis provincialibus vel localibus committere prout res ad Provinciam vel ad aliquod Collegium pertineat; sed, si Superiores negligentes aut alias corrigendos deprehenderint, ad Praepositum Generalem deferant. Itidem faciant si aliquid gravius constituendum fuerit, ut cum Praeposito Generali prius communicent, cui, confecto Visitationis cursu, semper per eos acta referant [3].

[1] Sess. 25, c. 8, *de Reg.*

[2] Craisson, n. 3060.

[3] Const. l. IV, c. 14.

De Provinciali quoque statutum est ut quaecumque in Visitatione, vel extra, ordinaverit, a Praeposito Generali approbanda sint [1].

Sed enim circa canonicam Visitationem oportet distinguere Visitationem *iudicialem*, in qua nimirum Praelatus procedit ut iudex, a *paterna*, in qua instar patrisfamilias ex sola auctoritate *dominativa* procedit.

Iamvero Praelatus non potest procedere ad Visitationem *iudicialem* contra reum cuius crimina illi, non ut iudici, sed ut patri revelata fuerint, nisi de illis criminibus agatur quae dicuntur *excepta*, qualia sunt haeresis, blasphemia, crimen sacrilegii, seu sortilegium et sacrorum profanatio, latrocinium, publicarum viarum grassatio, crimen laesae maiestatis, fabricatio falsae monetae, assassinium, simonia.

Neque potest Praelatus cuicumque pro lubito manifestare crimina sibi paterno modo, non iuridice, inquirenti revelata; sed illis tantum ea manifestare valet quorum interest, velut Superiori Conventus, qui reo invigilare ex officio tenetur. Potest equidem removere reum, alium illi Conventum assignando, ac illi prohibere ne certas personas vel domos adeat, eique socium assignare cum mandato eum diligenter observandi: in his tamen prudenter caveat ne delinquentem praeter necessitatem diffamet; adeoque eos moneat, quibus ex praefatis causis delictum manifestaverit, de obligatione servandi secretum.

[1] Const. l. IV, c. 16.

104. - An Superiores possint quidquid bonum in se est praecipere, et specialiter obligare mitigatos ad regulam primitivam.

Iam alibi diximus (§ 71) Superiores non posse aliquid *praecipere,* nisi saltem *indirecte* et *reductive* sub regula comprehendatur. Possunt tamen obligare *etiam cum periculo vitae* ad ea quae sunt secundum regulam, si gravis urgeat necessitas, velut ad curandum Sodalem morbo contagioso infectum, vel ad immorandum in loco ubi aer sit valetudini nocivum.

Capitulum autem Generale, apud quod residet suprema Ordinis potestas atque ius leges ferendi, potest legem condere quae sit, non quidem *contra* sed *praeter* vel *supra* regulam, quamquam nec *indirecte* seu *reductive* sub regula contineatur; sed tunc lex illa obligabit Religiosos qui post eius promulgationem vota emittent, minime vero Religiosos ante illam professos. Solus enim Romanus Pontifex, ad universalis Ecclesiae bonum vel ad maiorem religiosae familiae utilitatem, potest condere statuta quae, licet sint praeter, supra, vel etiam contra regulam, obligent Religiosos iam professos; idque non ex potestate *dominativa* quam habet super omnes Regulares, sed ex potestate *supremae iurisdictionis,* quam pro bono Ecclesiae habet super omnes Christifideles.

Huc redit quaestio de Superiorum auctoritate ad instaurandam regularem observantiam. Iam alibi demonstravimus (§ 73) ipsos posse ad vigorem revocare regulas in desuetudinem lapsas; hic unum quaerimus, an ipsi et generalia Ordinis comitia valeant obligare Religiosos *mitigatos,* quos vocant, ad *reformationem*

subeundam, ita ut redeant ad *primitivam observantiam*. Ad quaestionem dirimendam oportet distinguere inter mitigationem a S. Sede concessam, et mitigationem per consuetudinem inductam atque praescriptam; item, inter reformationem a Summo Pontifice constituendam, et reformationem inducendam a Capitulo Generali. Iamvero:

1° *Si mitigatio inducta fuerit per S. Sedis dispensationem, et reformatio fiat a Capitulo Generali,* mitigati iam professi non tenentur ad reformationem, nisi in casu quo *indirecte* et *reductive* contineatur sub regula mitigata; qui vero post reformationem vota emittent, illam observare debebunt, licet aliqua contineat praeter, supra, aut contra regulam mitigatam.

2° *Si mitigatio inducta fuerit per consuetudinem legitime praescriptam, et reformatio a Capitulo Generali, fiat,* mitigati ante reformationem professi obligari possunt ad illam observandam, nisi dum vota profiterentur contrarium expresse declaraverint, vel nisi, saltem probabilius, regula primitiva per consuetudinem *omnino immutata fuerit.*

3° *Si reformatio fiat auctoritate Summi Pontificis* (sive mitigatio inducta fuerit per S. Sedis dispensationem, sive introducta fuerit per consuetudinem), omnes, etiam iam professi, ad reformationem subeundam poterunt obligari.

4° Ceterum etiamsi reformatio nec a S. Sede nec a Capitulo generali praecipiatur, Praelatus regularis potest, generatim loquendo, obligare subditum ad aliquam primitivae regulae praescriptionem, *in poenam delicti* vel *si praescriptio illa reductive in ipsa regula mitigata contineatur.*

5° Apud nos, non solum nulla unquam *mitigatio* introducta fuit, sed nec per consuetudinem introduci potest, quia singulis annis integrae Constitutiones ideo publice leguntur ut observentur, et Superiores, sive in collationibus seu capitulis circa regularem observantiam quatuor anni temporibus praescriptis, sive in sacris Visitationibus, sive aliter, earum observantiam inculcare non desinunt.

105. - De Praelatorum institutione, depositione, ac ab officio abdicatione; ubi de officiorum incompatibilitate.

I. **Institutio** Praelati fieri nequit nisi *per Pontificiam nominationem,* aut *per canonicam electionem.* Quoad primum institutionis modum, nulla difficultas. Quoad alterum, haec ad electionis validitatem requiruntur: 1° Nemo ad Praelaturam eligi potest nisi sit saltem *vigintiquinque* annos natus; apud nos tamen oportet ut Praepositi Collegiorum Novitiatus *trigesimum quintum* aetatis annum excesserint, quia talis aetas a Clemente VIII [1] exigitur pro Novitiorum Magistro, et apud nos Praepositus Novitiatus idem est ac Magister novitiorum; pro ceteris Superioribus vero requiritur ut *tricesimum* annum attigerint, cum ius habeant interveniendi ad Capitula Provincialia, et quandoque etiam ad Generalia, ad quod aetas illa exigitur [2].

2° Praelatus in Religionibus formalibus (nisi aliud alicui Ordini specialiter permittatur) debet esse professus votorum solemnium, et quidem apud nos non

[1] Decr. *sup. recept. et educat. Novitior. Compend.* pag. 32, n. 18.
[2] Const. l. IV, c. 2.

ante expletum quadriennium a professione votorum simplicium [1]; a decennio autem, si agatur de Praeposito qui simul novitiorum Magister sit, ut constat ex citato decreto Clementino.

3° Oportet ut sit Clericus, nisi agatur de Sodalitio Regularium laicorum, et saltem Subdiaconus, quo in casu curare debet ut quam citius ad Presbyteratum promoveatur, ut plene valeat animarum sibi commissarum curae incumbere. At apud nos Superior eligi nequit nisi Sacerdos [2].

4° Eligi nequit inhabilis ex irregularitate, non ea tamen quae ab Episcopatu tantum arcet.

5° Ad officium Praepositi Generalis in Congregatione nostra eligi nequit nisi qui aliquando fuerit Assistens vel Visitator vel Procurator Generalis, aut Praepositus Provincialis, vel saltem localis [3].

6° Praelatus eligi nequit nisi a Sodalibus *ius suffragii* habentibus; quod apud nos iis denegatur qui nondum quadriennium (vel triennium ex dispensatione Praepositi Generalis eiusque Consultationis) a prima professione expleverint, nec Sacerdotio adhuc initiati sint, vel adhuc in Professorio ut S. Theologiae auditores versentur [4]. Attamen, etiamsi alii professi votorum simplicium voce activa et passiva gaudeant in Capitulo locali, nonnisi activam in provinciali habent; adeoque non possunt ut socii Praepositi Provincialis interesse Capitulo generali, in quo ordinariae electiones Superiorum fiunt; igitur non possunt esse electores Superiorum.

[1] Const. l. IV, c. 19.
[2] Synops. Decr. ad l. IV, c. 1 Const.
[3] Const. l. IV, c. 12.
[4] Synops. l. c.

7° Omnes qui ius electoris habent, *legitime* ad electionem faciendam sunt *convocandi;* alioquin, si quis eorum convocatus non fuerit, ipso reclamante, electio invalidari poterit.

8° Electio *ipso facto irrita* esset, si quis ex habentibus ius a suo suffragio ferendo impediretur.

9° Item, ut electio sit *valida,* fieri debet per *secreta* suffragia, non autem per *compromissionem* (scilicet transferendo in unum vel plures ex communi consensu designatos facultatem eligendi), nec per *inspirationem* seu *acclamationem.*

10° Si Constitutiones Ordinis conferant Praelato maiori electionem minoris, stetur Constitutionibus.

11° Suffragia absentium vel defunctorum nequeunt suppleri: nec licet Capitulo Provinciali sufficere aliquem loco electoris qui vocem activam et passivam amiserit [1].

12° In Italia saltem Insulisque adiacentibus eidem personae tribui nequeunt plura officia quae *incompatibilia,* sive ex Apostolicarum Constitutionum praescripto, sive ex providentia particularium Ordinis Constitutionum, declarantur [2]. Iamvero leges nostrae declarant officium Visitatoris Generalis ut *incompatibile* cum officio Praepositi Collegii primi vel secundi Novitiatus, imo, si Visitatori necesse sit maiorem anni partem in Visitatione consumere, etiam cuiusvis Collegii: item, officium Praepositi vel Parochi cum officio Procuratoris Collegii, et officium Procuratoris Generalis cum officio Praepositi romani Collegii. Equidem plura Generalia

[1] S. C. 25 Mart. 1836. *Collectan.* ed. I, pag. 74; II, pag. 68.

[2] S. C. ex Audient. diei 19 Aug. 1795. *Collectan.* ed. I, pag. 366; II, pag. 330.

Capitula contulerunt Praeposito Generali ius concedendi, in gravissimis circumstantiis, nedum Parocho, sed et Superiori, ut munus Procuratoris exerceat [1]; verum, quod ad Superiorem attinet, Clemens VIII in suo Decreto *De reformatione Regularium* [2] haec statuit: « Nullus ex Superioribus localibus, administrationem bonorum et redituum sui Conventus *per se ipsum* habere valeat ». Ergo decretum Capitulorum Generalium intelligi debet de administratione *provisoria* et *momentanea*.

Denique, ex rationabili consuetudine apud nos officium Procuratoris localis considerari solet ut incompatibile cum officio Vicarii et Discreti. Ex nostris Constitutionibus vero Vicarius non potest eligi in Confessarium Communitatis.

II. Nunc de Praelatorum **depositione** et **abdicatione**.

Praelati et Dignitarii possunt amittere praelaturam aut dignitatem, ad quam electi fuerint in perpetuum vel ad tempus nondum expletum, per depositionem aut per renunciationem.

Deponi quidem in Ordinibus exemptis generatim nequeunt nisi a Summo Pontifice, vel nisi id iuris Ordini competat ex Constitutionibus a S. Sede approbatis, sicut apud nos. Quando vero et quomodo procedendum sit ad depositionem Praepositi Generalis Constitutiones nostrae statuunt libro IV, capite 12 (*Si vero etiam* etc.); ad depositionem Assistentis, capite 13 (*Si unum ex eis* etc.); ad depositionem Provincialis, capite 16 (*Si moriatur* etc.); ad depositionem Superioris localis, capite 17 (*Si quis eorum* etc.).

[1] Synops. Decr. ad l. IV, c. 17 Const.

[2] *Compend.* pag. 24, n. 12.

Praeterea, si quis ex nostris, vel per se vel per alium, aliquam praelaturam vel dignitatem, etiam extra Congregationem, sibi aut alii mandari curaverit, privari debet iure suffragii in perpetuum, vel graviori etiam poena, arbitrio Capituli Generalis, puniri; et si haec obtinuerit, praeter praedictas poenas, quantum in nobis est *dignitate aut officio obtento privetur*, aut eius usus illi interdicatur [1].

Deniquè, Clemens VIII in citato Decreto *de reformatione Regularium* prohibuit Regularibus quibuscumque ne in Capitulis, directe vel indirecte, sibi aut aliis, voces seu suffragia procurent; idque *sub poena privationis officiorum* et perpetuae ad ea inhabilitatis *ipso facto incurrenda et Romano Pontifici reservata;* praeter alias poenas et censuras contra huiusmodi ambientes inflictas, quae omnes poenae *ad complices* et simpliciter *scientes ac non revelantes extenduntur* [2].

Ceterum, satis frequenter leges ecclesiasticae et Sanctae Sedis decreta sanciuntur pro Regularibus hac poena *privationis dignitatis ac officii.*

III. *Renunciare* insuper potest Praelatus officio et Dignitarius dignitati, sed ille debet in officio permanere donec eius renunciatio seu abdicatio formali decreto acceptetur; ea vero admissa, ipse, nisi aliter Superiores disponant, adhuc officio fungatur instar Vicarii absente Praeposito, donec novus Praelatus in possessionem sui muneris adveniat. Dignitarius liber evadit statim ac eius renunciatio admissa fuerit. Denique, sive Praelati sive Dignitarii, si eorum abdicatio minime recipiatur, nequeunt ab exercitio sui muneris desistere.

[1] Const. l. IV, c. 8, *Ut autem* etc.

[2] *Compend.* pag. 27, n. 35.

106. - De Congregationis nostrae regimine per Capitula generalia, provincialia, localia; per Superiores, Officiales, Vocales omnes.

Congregationis nostrae regimini participant, *directe* quidem, Capitulum Generale aliaque Capitula sive provincialia sive localia, Superiores item omnes, Assistentes ac Visitatores Generales; *indirecte* autem omnes alii Officiales; imo, quatenus ius suffragii exercent, Vocales omnes [1].

I. **Capitulum Generale**, penes quod est suprema Congregationis potestas (sed potestas extraordinaria ac intermittens, non permanens) ordinarie convocatur in romano Collegio SS. Caroli et Blasii [2] unoquoque triennio, et constat Praeposito Generali vel eius vices gerente, Assistentibus, Visitatoribus, Procuratore Generali, Provincialibus et duobus cuiusque Provincialis sociis in Provinciali Capitulo electis, dum quatuor saltem manebunt Provinciae.

Illi soli competit ius Constitutionem aliquam immutandi, vel abrogandi, aut authentice ac *definitive* declarandi seu interpretandi, nec non de novo condendi (cf. § 3); generalia item decreta edendi quae a Praelatis abrogari aut immutari nequeant; onera perpetua Missarum aut sacrarum functionum *definitive* assumendi; Collegia cum animarum cura, vel cum perpetuis oneribus aut ab instituto nostro alienis recipiendi; ius suffragii ante expletum a professione quadriennium alicui concedendi, nisi Capitulum ipsum, ut

[1] Cf. Const. I. IV, c. I.

[2] Rescript. Pii IX, 29 Apr. 1853. Si aliquando extraordinaria causa occurrerit, recurrendum erit in casibus particularibus ad S. Sedem (Ibid.).

fieri solet, det facultatem Praeposito Generali eiusque Consultationi concedendi ex speciali et extraordinaria causa vocem activam et passivam Sacerdotibus nostris solemniter professis, post tres annos a professione votorum simplicium [1]; Conversos ante finem quinquennalis probationis ad habitum et canonicum tirocinium admittendi; reos crimine ambitus plectendi; Praepositum Generalem et Maiores Congregationis Officiales ordinarie eligendi [2].

II. **Praepositus Generalis** exercet in Congregatione universa supremam potestatem ordinariam, eique competit quoque suprema bonorum temporalium administratio; at Capitulo Generali rationes reddere tenetur sui regiminis et administrationis. Praeterea in rebus maioris momenti Assistentes suos consulere debet, licet eorum consilia sequi non teneatur; sed quoties vel Constitutiones vel Capitulorum Generalium decreta *eorum consensum expresse requirunt*, eos ita adhibere tenetur ut, quasi quinque virorum consilio constituto, *id ratum sit quod maiori eorum parti placuerit.* Quod si aliquando necesse sit eorum consensum adhibere, et tres tantum sint, ea pars in pari numero prevaleat, a qua Praepositus stet: ideoque, si secreta suffragia lata fuerint, denuo dentur, et ipse duos calculos ponat. Deliberationes, cum huiusmodi consensu faciendae, scripto fiant, cuiusque subscriptione adhibita. Quandonam vero expressus ille Assistentium consensus requiratur, singillatim referunt particulares Regulae Praepositi Generalis (pag. 24 seqq.).

Praepositus Generalis ordinarie eligendus est quo-

[1] Synops. ad lib. IV, Const. ad c. I, Declar.
[2] Const. l. I, c. 7; II, c. 5: IV. c. 1, 2 et 12.

libet triennio a Capitulo Generali, et potest semper in officio confirmari; imo, si tres ex quatuor electorum partes in id conveniant, eligi potest in perpetuum, seu quoad vixerit.

Si vero in eum *corporis vel animi morbum* incidat ut non amplius suo officio sustinendo idoneus sit, nimisque longum sit expectare *ordinarium* Capituli Generalis conventum, si nempe plus quam sex menses expectandum foret, Assistentes ea de re scribant ad Provinciales, et inter se statuant quid agendum sit; et si in id consentiant ut sit conveniendum, conveniant omnes qui ad Capitulum Generale ordinarium convenire deberent, sed ad hoc tantum conveniant ut vel Praeposito infirmo dent *Vicarium Generalem*, vel saltem *eius potestatem ita circumscribant ut nihil grave sine Assistentium consensu agere possit*, quatenus, quinque virorum consilio constituto, quod maiori parti eorum visum fuerit, id ratum sit. Posito autem quod *Vicarium Generalem* eligere magis arrideat, hunc ea suffragiorum ferendorum ratione eligent, quae in electione Praepositi Generalis praefixa est, et de qua in sequenti paragrapho loquemur. Quod si ad officium Vicarii Generalis electus fuerit aliquis ex Assistentibus vel ex aliis Officialibus Maioribus, alius in eius locum sufficiant, et nihil aliud agant, cetera remittentes ad *ordinarium* generale Capitulum. Huic vero *extraordinariae congregationi* maior ex Assistentibus praesit. Vicarius autem ita electus omnem supremi Antistitis potestatem habeat, Assistentium utens consilio vel etiam consensu, ut de Praeposito Generali dictum est; sed ipsi Praeposito debitum habeat honorem, et aliqua etiam cum illo communicet, pro modestia et prudentia sua.

At si Praepositus generalis *in aliquod crimen* incidat ex iis quae Constitutionum libro IV, capite 12 (circa finem) enumerantur, antiquior Assistens, de aliorium Assistentium consensu, Capitulum *extraordinarie,* ut supra, convocet, cui ipse praesit, et Praepositum deponant, ac novum eligant, qui maneat usque ad *ordinarium* proximum Capitulum.

Moriente, denique, Praeposito Generali, si tempus ordinarii Capituli minus quam sex mensibus distet, maior ex Assistentibus, qui interim *Vicarium Generalem* agat, *ordinarium* Capitulum convocet, et tunc novae electiones fiant omnium officialium ad triennium duraturae; et Congregationis negotia pertractentur, ita ut ordinarium Capitulum proximo consueto tempore non fiat, sed anticipetur. Sed si plus quam sex mensibus ordinarii Capituli tempus distet ab obitu Praepositi Generalis, antiquior ex Assistentibus, tamquam *Vicarius Generalis, congregationem extraordinariam,* ut supra, convocet pro *sola* electione novi Praepositi Generalis, qui in officio manebit usque ad proximum ordinarium Capitulum. Si vero haec extraordinaria congregatio, seu Capitulum, *coram* fieri non possit, fiat *per litteras,* praevia Apostolicae Sedis licentia. Sed etiam tunc electio fieri debet per *secreta* suffragia; et ideo *schedulae* non debent a suis auctoribus subscribi, sed tantum litterae in quibus includuntur: schedulae vero, antequam a Scrutatoribus aperiantur, debent simul confundi, ne revelentur earum auctores.

III. **Assistentes, Visitatores** et **Procurator Generalis** ordinarie ad triennium in Capitulo Generali eliguntur; at si eorum aliquis decedat, aut inhabilis vel in-

dignus evadat, alius ei sufficiatur per litteras et schedas a Praeposito Generali, Assistentibus et Provincialibus, nec non, (ex decreto Capituli Generalis anni 1895) a Visitatoribus et Procuratore Generali, usque ad tempus Capituli Generalis in officio permansurus. Potest tamen Praepositus Generalis officium alterius Assistentis, de aliorum Assistentium consensu, ex causa suspendere.

Assistentes in Capitulo Generali non sunt omnes renovandi, sed eorum duo in officio confirmandi.

Iamvero Alexander VII, Congregatione in quatuor Provincias divisa, statuit ut unaquaeque *proprium Assistentem, Visitatorem* ac *Provincialem* habeat, qui *sint et esse debeant earumdem Provinciarum nationales: nationalis* vero alicuius Provinciae is esse intelligatur qui in illa *natus sit,* vel in illa, in domo Novitiatus, *professionem regularem emiserit* (hoc hodie intelligendum est de professione prima, seu votorum simplicium) vel in ea *decennii continui spatio,* mansionem ibi habens, *commoratus fuerit;* hac tamen lege ut *qui semel declaratus fuerit unius esse Provinciae, nationalitate alicuius ex aliis Provinciis potiri nequeat, nisi in illa de novo per decennium permanserit; qua super re etiam Capituli Generalis approbatio intervenire debeat* [1].

In eodem Alexandrino decreto praescribitur insuper ut *nullus officia maiora* (Assistentis nempe, Visitatoris et Procuratoris Generalis), *vel eorum aliquod, longiori quam novem annorum spatio gerere possit;* quod novennium per tria Capitula Generalia integre consti-

[1] Bullar. n. pag. 79.

tuetur, et illud explevisse censeantur tam illi qui aliquod ex dictis officiis continuo exercuerint, quam ii qui ab uno ad aliud transierint; ita ut illi qui novem annis dicta tria officia, seu aliquod ex ipsis, exercuisse reperientur, ad nullum eorum, neque ad aliam dignitatem vel officium, etiam Praepositi localis, excepto officio Praepositi Generalis, eligi possint, nisi antea *per triennium* in statu *religiosi privati* permanserint. Quod si quis ad aliquod ex illis tribus officiis maioribus eligatur *per suffectionem* seu *subrogationem* ante Capitulum Generale, tempus quod Capitulum ipsum praecedit in praedicto novennio non computabitur.

Item, si quis ad aliquod ex illis tribus officiis eligatur ante expletum in iis novennium, possit in eo officio permanere usque ad proximum Generale Capitulum, licet interim novennium excedat. Demum, duo illi Assistentes qui debent in officio confirmari, non sint ex iis qui praefatum novennium iam expleverunt. Sed quid si duo tantum supersint Assistentes, quorum alter vel etiam uterque in huiusmodi, vel simili officio maiori, iam novennium absolverit? Huic dubio ipsemet Alexander VII respondit: « Duo Assistentes remaneant in eodem gradu confirmati, licet eorum aliquis, vel etiam ambo, in officiis maioribus praedictis novennium iam expleverint; modo tamen unus vel duo ex Assistentibus non supersint qui, novennio nondum expleto, possint remanere » [1]. Ceterum, ante quodlibet Capitulum Generale, a S. Sede petere et obtinere solemus dispensationem a lege Alexandrina, sive quoad *novennium* pro maioribus Officialibus, sive quoad *nationalitatem*

[1] Bullar. n. pag. 83, in nota.

Assistentium, Visitatorum et Provincialium; ita ut stetur nostris Constitutionibus, iuxta quas nulla fit inter nos nationalitatis distinctio, et Officiales maiores semper possunt in officio confirmari.

Quoad *numerum Assistentium et Visitatorum Generalium*, decretum Alexandri VII ita interpretatum fuit, ut, Provinciarum numero crescente sive decrescente, Assistentes semper sint quatuor, Visitatores autem tot sint quot erunt Provinciae, licet ex Constitutionibus nostris duo tantum fuerint Visitatores ante divisam in quatuor Provincias Congregationem, et, post hanc divisionem, relinquatur arbitrio Capituli Generalis eorum numerum plus minusve augere.

IV. **Praepositi Provinciales eorumque Consultores** ordinarie eliguntur ad triennium, illi in Capitulo Generali a Generali Praeposito et maioribus Officialibus, praesente Cancellario Capituli; isti a Generali eiusque Assistentibus, post electionem Provincialium.

Extra Capitulum Generale Provinciales a Consultatione Praepositi Generalis eliguntur. Semper vero in officio confirmari possunt, si id utile in Domino visum fuerit.

Provinciales in gravioribus negotiis uti debent consilio et, quoties id praescribitur, consensu suorum Consultorum. Eorum vero *Consultores ordinarii* duo sint; sed totidem *extraordinarios* in negotiis maximi momenti sibi eligere valent, quin semper ad id muneris easdem personas advocare teneantur.

Quilibet Provincialis singulis mensibus, et eius Consultores ordinarii bis in anno, initio scilicet Februarii et Augusti, ad Praepositum Generalem de rebus suae Provinciae scripto referant.

Praeterea, hi tres in quatuor anni temporibus conveniant ut inter se communicent an aliquid providendum aut reparandum sit pro bono Provinciae, quoad ea praesertim quae regularem disciplinam spectant.

In fine cuiusque anni Provincialis ad Generalem transmittat *statum personarum* suae Provinciae, nec non *compendium rationum administrationis* bonorum sive arcae Provinciae, sive singulorum Provinciae Collegiorum; quae quidem rationum expositio, in eodem folio vel codice descripta, ab ipso et ab eius ordinariis Consultoribus subscribatur.

Si Provincialis diu a Provincia abesse debeat, aut longiori detineatur morbo, ita ut a suo officio obeundo impediatur, eligat sibi *Vicarium* qui interim, quoad ordinaria negotia, Provinciam regat. Sed si moriatur, aut aliter, Generali approbante, officio cedat, alius Provincialis, vel si magis expediat, v. gr. quod proximum sit Capitulum Generale, *pro-Provincialis* a Generali eiusque Consultatione eligatur. Quod si aliquis Provincialis *inhabilis* ex animi corporisve infirmitate fiat, ab officio se abdicet, aut detur ei a Consultatione Generali *Vicarius* usque ad proximum Capitulum Generale: sed si ob crimen *indignus* officii sui efficiatur, deponi debet; et alius Provincialis seu pro-Provincialis eligatur ut supra.

V. **Capitulum Provinciale** ordinarie ideo convocatur ut de iis quae ad proximum Generale Capitulum, ad Dei gloriam et Congregationis utilitatem, referenda sint agatur; simulque duo Socii cum Provinciali ad generalia Comitia profecturi, nec non, in Italia, Examinatores Provinciales eligantur. Ad illud convenient, praeter Provincialem, qui erit Capituli praeses, omnes

Provinciae Superiores, unusquisque cum Socio sibi capitulariter adiuncto, ea tamen lege quam inferius (§ 109) describemus.

In eo conventu duo ex Capitularibus rebus proponendis, instar Promotorum, eligantur. Habeatur quoque Cancellarius, qui ab initio sit ipse Cancellarius Praepositi Provincialis, dein, in prima scilicet sessione, post electos Promotores, alter eligendus erit inter Capitulares, ut fit in Capitulo Generali. Eligetur quoque Scrutator Provinciali et Cancellario pro scrutiniis addendus.

Si ordinarium Capitulum Provinciale, Provinciali eiusque Consultoribus petentibus et Generali eiusque Assistentibus probantibus, per litteras fiat, nihil aliud conficiat nisi electionem Sociorum, ac, in Italia, Examinatorum Provincialium. Tunc schedae aperientur a Provinciali et suis ordinariis Consultoribus; si tamen isti habeant in illo Capitulo vocem passivam, Consultores extraordinarii, eorum loco, advocentur ad scrutinium tantummodo conficiendum.

VI. **Superiores locales** eodem modo eliguntur ac Provinciales, sed singulis annis renovari possunt, si ita Generali eiusque Consultationi placuerit; possunt tamen semper in officio confirmari.

Unusquisque eorum singulis circiter mensibus ad Praepositum Provincialem de rebus sui Collegii scribat, et alternis hebdomadis Vicarium et Discretos convocet ut inter se communicent an aliquid providendum aut emendandum in Collegio sit.

VII. **Magister secundi Novitiatus,** si alius sit a Praeposito loci, eligendus est a Praeposito Generali eiusque Consultatione (*recole quae de eo diximus* § *36*).

VIII. **Officiales Collegiorum** quotannis, electo vel confirmato Superiore, hoc modo constituuntur:

Vicarius a Provinciali (et si hic sit etiam Superior localis, a Generali, pro illius Collegio) eligitur, alter nempe e duobus a Praeposito loci nominatis. Ipsius est Superioris, cum opus fuerit, vices gerere; Conversos famulosque Communitati addictos dirigere; victus, vestitus et officiorum disciplinae intra domesticos parietes curam gerere; ut omnia sive communiter sive singulis necessaria opportune parentur, recondantur et dispensentur, curare; horarum distributionem tueri; et quae, pro varietate temporis, immutationes fieri debent, praescribere.

Confessarii Collegii item a Provinciali, audito Superioris localis voto, eligantur ad Sodalium confessiones audiendas; sintque duo, nec ad tale officium nominetur Vicarius (*circa confessiones Regularium recole quae superius, §§ 88 et 89 scripsimus*). Si tamen Provincialis sit etiam Praepositus localis, sui Collegii Confessarios Praeposito Generali eligendos proponat.

Procurator, qui praediorum a Collegio distantium, pecuniae et redituum curam gerat, et ea quae Vicarius praescripserit ad victum, vestitum, aedificationem, vel diuturnum usum, comparet et importanda curet, a Capitulo locali *nominatur* post electionem Vicarii: sed a Praeposito Provinciali (vel a Generali, si ille sit etiam Praepositus localis et de sui Collegii Procuratore agatur) eiusque Consultatione *eligitur* inter eos qui nominati fuerint, et quorum nomina ideo referri illi debent, non tamen nominationum quas quisque tulerit numerus. Procurator tenetur rationes suae administrationis sincere fideliterque exhibere, Superiori quidem locali

eiusque Discretis, in fine cuiusque mensis vel saltem (ex concessione Capituli Generalis) bimestris; Provinciali eiusque Consultoribus, sexto quoque mense; Capitulo Generali, quolibet triennio; quae omnes rationes a Superiore et Discretis subscribi debent.

Discreti eliguntur post Procuratorem a Capitulo locali, quatuor quidem ubi duodecim saltem vocales habentur, duo ubi minor est numerus vocalium.

Hi consilio et opera adiuvent Superiorem loci, eorumque maior professione in eo monendo, si opus sit, praestet charitatis officium.

Sexto quoque mense, idest Ianuario et Iulio, de rebus sui Collegii ad Praepositum Provinciae epistolas scribant, quas hic suis ordinariis Consultoribus, postea destruendas, ostendet.

Cancellarius quoque a Capitulo locali eligendus est; nec non

Custos alterius ex clavibus arcae in qua asservari debent eleemosynae Missarum *manualium*. Hic, apud nos, solet esse Praefectus Sacrarii; sed, quatenus eleemosynarum custos, capitulariter eligi debet ex S. Sedis praescripto.

Officiales minores, ut Praefectus Sacrarii, Valetudinarii, Bibliothecae etc., a Superiore locali eiusque Discretis eliguntur per acclamationem, seu absque secreto scrutinio.

IX. **Vocales**, seu habentes ius suffragii saltem in Capitulis localibus, debent esse Sacerdotes, inter Sacrae Theologiae auditores non amplius adnumerari, et esse a quadriennio professi, nisi post triennium intercesserit Capituli Generalis vel, ex ipsius concessione, Praepositi Generalis eiusque Consultationis dispensatio; sed

vocem *passivam* in electione Socii ad Capitulum Provinciale cum locali Superiore profecturi non habent nisi trigesimum aetatis annum attigerint, in Capitulo vero Provinciali nisi insuper vota solemnia iam emiserint.

107. - De ratione apud nos servanda in electionibus et in communibus deliberationibus: ubi de Scrutatoribus.

I. **Electiones** vel coram, vel per litteras perficiuntur.

a) *In electionibus quae coram,* praesentibus nempe electoribus, *fiunt,* oportet ut prius omnium eligibilium nomina describantur, vel saltem clare denuncientur; dein, ut singuli electores, praestito de more iuramento, in appositis similibusque schedulis inscribant nomen et cognomen eligendorum.

Postea Scrutatores, praemisso assueto iuramento, aperiunt schedas et scripto denunciant omnes qui nominati fuerint, ponentes in primis eos qui fuerint a pluribus nominati; et, ex iis quibus forte par numerus nominationum consenserit, antiquiores professione. His nominibus, cum numero nominationum a Cancellario clare pronunciatis, secreta suffragia de more dantur, primum pro illo qui a pluribus nominatus fuerit, et, in pari numero, pro antiquiore professione. Interim ille pro quo suffragia feruntur, ab aula recedat; idque in omnibus electionibus servetur. Iamvero

In electione Praepositi Generalis coram perficienda, ille ex nominatis censeatur electus qui primus tulerit duas partes ex tribus suffragiorum.

Si in primo scrutinio nemo electus evadat, enun-

cietur ex scripto numerus suffragiorum quae quisque tulerit; et denuo eodem modo ferantur suffragia, incipiendo ab eo qui in primo scrutinio plura quam alii suffragia habuit.

Si neque in hoc secundo scrutinio aliquis electus fuerit, ter quaterque scrutinium renovetur, excludendo tamen in tertio scrutinio eos qui non plus quam tria suffragia in secundo tulerint, et in quarto eos qui non plus quam quatuor tulerint in tertio; nisi forte omnes sint in eodem casu, tunc enim nullus est excludendus.

Denique si post quartum scrutinium nemini duae suffragiorum partes ex tribus accesserint, is electus sit qui plura quam alii suffragia tulerit, modo tulerit maiorem totius numeri partem.

Quod si neque ita res peracta sit, scrutinium eodem modo repetatur.

Constitutiones nostrae supponunt in hoc quinto scrutinio rem esse omnino absolvendam; atqui, absolute loquendo, fieri potest ut etiam in quinto scrutinio nemo eligatur, nemini obveniente maiore parte totius numeri suffragiorum: quid igitur agendum tunc esset? Nostro quidem iudicio, Capitulum Generale speciale decretum ad rem definiendam tunc conficiet; v. gr. statuendo ut sexto suffragia ferantur, ita ut pro illa vice ille electus censeatur qui propius ad maiorem totius numeri partem accesserit, seu qui simpliciter plura suffragia prae aliis tulerit, praeferendo in pari numero professione, antiquiorem, sicut pro ceteris electionibus praescribitur.

In omnibus aliis electionibus coram peragendis, post lata suffragia is electus sit qui tulerit maiorem partem totius numeri suffragiorum; et, si in primo scrutinio nemo eam tulerit, dentur iterum suffragia, incipiendo

ab iis quibus in primo scrutinio plura obvenerint suffragia; quod si adhuc maior totius numeri pars nemini contingat, ille, absque novo scrutinio, censeatur electus qui propius ad talem numerum accesserit, scilicet qui maiorem prae aliis suffragiorum numerum tulerit, licet non sit maior totius numeri pars; et in pari numero semper praeferatur antiquior professione (Const. l. IV, c. 9).

b) *In electionibus per litteras perficiendis,* vel agitur de electionibus ad Capitulum Provinciale spectantibus, vel de iis quae ordinarie in Capitulo Generali fiunt; in primo casu quaestio erit de electione Sociorum Provincialis, nec non, in Italia, Examinatorum Provincialium; in altero, de electione Maiorum Officialium, et, in Italia, Examinatorum Generalium. Porro:

In electione, per litteras, Examinatorum sive Provincialium sive Generalium, unicum scrutinium fit, et ii declarantur electi qui plures quam alii nominationes habuerint [1].

In electione, per litteras, Sociorum Provincialis, ii electi sint quibus obvenerit maior totius numeri schedarum pars; et in pari numero praeferatur maior professione. Si res in primo scrutinio minime perficiatur, Provincialis scribat ad electores neminem, vel unum tantum, electum fuisse, referendo sub lege secreti quot nominationes quisque ex nominatis tulerit; et novas schedas pro altero vel pro duobus, ex iam nominatis in primo scrutinio, requirat. In secundo autem scrutinio, si Socii non evadant electi per maiorem totius numeri partem, illi censeantur electi, ut superius diximus, qui

[1] De istis Examinatoribus recole quae scripsimus § 31, n. 7.

huic numero propius accesserint, et, in pari numero, professione antiquiores.

In electione, per litteras, maiorum Officialium, vel agitur de electione Praepositi Generalis, vel de electione Assistentium, Visitatorum et Procuratoris Generalis. Iamvero:

Pro electione, per litteras, Praepositi Generalis, venia S. Sedis obtenta, omnes electores scribant suas schedas more consueto, et ille electus sit qui duas ex tribus partes nominationum tulerit, praeferendo in pari numero antiquiorem professione; secus, renovetur scrutinium, sicut supra dictum est pro electione Sociorum Provincialis; et, si in hoc secundo scrutinio nemo tulerit duas nominationum partes ex tribus, ille electus sit qui huic numero propius accesserit, et, in pari numero, professione antiquior.

Pro electione, per litteras, reliquorum maiorum Officialium, sive sint omnes, ex dispositione Apostolicae Sedis, eligendi, sive aliquis tantum eorum, scilicet per suffectionem seu subrogationem, electores erunt, ex Constitutionibus, Assistentes et Provinciales, ex decreto Capituli Generalis 1895, etiam Visitatores et Procurator Generalis. In utroque casu ii electi sint qui maiorem totius numeri suffragiorum partem tulerint, semper praeferendo, in pari numero, maiores professione. Quod si electio in primo scrutinio non perficiatur, scribantur novae schedulae, ut supra dictum est, et ii censeantur electi quibus plures quam aliis nominationes obvenerint; data, in pari numero, praeferentia antiquioribus professione.

II. **Deliberationes communiter habendae,** sive hae in Capitulis quibuscumque sive in Consultationibus Prae-

positi Generalis vel Praepositorum Provincialium locum habeant, eadem ratio servetur, ut si *unica propositio* secretis suffragiis demandanda sit, stetur maiori suffragiorum parti, ita ut habeatur pro admissa vel reiecta, prout a pluribus affirmetur vel denegetur: in pari autem numero iterum dentur suffragia; et si haec denuo paria sint, dentur tertio, sed tunc qui praeest (habens ius suffragii) duplex suffragium ferat, idest duos calculos in utraque urna ponat. Si vero *plures propositiones* circa idem a diversis propugnentur, primo de illa suffragia ferantur quam plures probaverint, et in paritate numeri illa prius scrutinio subiiciatur pro qua stet Praeses. Si, latis suffragiis, maior pars eam affirmet, ceterae propositiones omittantur; secus, vel etiam si suffragia affirmantia et negantia paria sint, ad alias eodem modo procedendum erit. Quod si nulla admissa fuerit, redeatur ad primam, eam novo scrutinio subiiciendo. Tunc, si a pluribus admissa fuerit, res confecta erit; si reiiciatur, de aliis propositionibus eodem modo iterum suffragia ferantur; sed si paribus suffragiis affirmetur et denegetur, tertio de ea ferantur suffragia, ea tamen lege ut Praeses, habens ius suffragii, duplex suffragium ferat; et si nihilominus haec propositio non admittatur, eadem regula ad alias procedendum erit [1].

III. **Scrutatores,** sive in electionibus sive in deliberationibus, sint:

In Capitulo Generali

Pro electione Praesidis, Promotorum et Cancellarii Capituli, tres professione antiquiores;

[1] Const. l. IV, c. 6. — *Regulae Cancellarii,* n. 39, pag. 73.

In deliberationibus, ante electionem Praepositi Generalis, Praeses, antiquior ex Promotoribus et Cancellarius;

Pro electione Praepositi Generalis, Praeses, Promotor antiquior et Cancellarius;

Pro electione aliorum maiorum Officialium, Praepositus Generalis, is qui fuit Praeses, vel (si ipse electus fuerit ad officium Praepositi Generalis) Promotor antiquior, et Cancellarius;

Pro electione Superiorum provincialium et localium, Praepositus Generalis, Procurator Generalis et Cancellarius; si vero Cancellarius ad aliquod ex maioribus officiis electus sit, ab alio Capitulari subrogetur, arbitrio Praepositi Generalis;

In deliberationibus quae forte capitulariter habebuntur post electionem Generalis et maiorum Officialium, Praepositus Generalis, maior ex Assistentibus et Cancellarius.

N. B. Si electiones maiorum Officialium fiant per litteras, Scrutatores erunt ut infra.

Extra Capitulum Generale.

In Consultationibus Praepositi Generalis, ipse Praepositus, vel (eo absente) eius Vicarius Generalis, et maior ex Assistentibus;

In Capitulo Provinciali, Praepositus Provincialis, alter ex capitularibus ab ipso Capitulo eligendus, et Cancellarius. Si tamen Capitulum fiat per litteras, scrutatores erunt Provincialis et Consultores ordinarii; qui, si ipsimet sint eligibiles, ab extraordinariis subrogantur;

In Consultationibus Praepositi Provincialis, anti-

quior professione (sive sit ipse Provincialis sive alter ex Consultoribus) et Cancellarius;

In Capitulis localibus, duo antiquiores professione (unus autem si numerus vocalium minor sit novem) et Cancellarius.

108. - De Actis Capitulo nostro Generali praemittendis.

Tempus habendi ordinarium Capitulum Generale, itemque Capitula Provincialia quae illud praecedunt, nec non Capitula localia pro electione localium Sociorum, nisi stetur Constitutionibus nostris (quae pro Capitulo Generali determinant feriam secundam post secundam Dominicam a Paschate, et pro Capitulis Provincialibus diem quintam mensis Novembris Capitulum Generale proxime antecedentis), definiendum est, pro generalibus Comitiis, a Capitulo Generali praecedenti; pro aliis a Consultatione Praepositi Generalis opportuno tempore habenda.

Itaque quaedam perficienda sunt, in ordine ad generalia Comitia, a Capitulis localibus, quaedam a Capitulis provincialibus, alia demum a Praepositis Provincialibus et Visitatoribus Generalibus, antequam incipiat Capitulum Generale.

Singula exacte describere visum est:

I. *De Capitulis locorum.*

Singulis Vocalibus uniuscuiusque Collegii ius est in electionem Socii, qui cum Superiore loci ad Capitulum Provinciale conveniat. Ut autem eligi aliquis in Socium

possit, tricesimum aetatis annum attigerit oportet (*Const. lib. IV, c. 2*).

Ius habendi Capitulum pro electione Socii unis est Collegiis maioribus, iis nempe in quibus, praeter Superiorem, quatuor saltem erunt Vocales; quo numero comprehenditur etiam quisquis forte accesserit tamquam delegatus ab aliquo minori Collegio, iuxta ea quae inferius dicentur. Excipiuntur Collegia Novitiatus, in quibus praeter Praepositum sufficit numerus trium Vocalium, etiamsi horum unus tamquam delegatus accedat.

Minora Collegia, ea nempe in quibus Vocales, praeter Superiorem, quaternarium numerum non attingunt, duplici continentur ordine, prout vel tribus saltem Vocalibus, praeter Superiorem, vel minori adhuc numero constant.

Collegia minora, ubi sint saltem tres Vocales, praeter Superiorem, singula per Capitulum eligent unum e suis Vocalibus, triginta annos natum, qui intersit tamquam a Collegio minori delegatus Capitulo Collegii maioris cum voce activa et passiva: Capitulo vero exhibebit notulam ceterorum Sodalium sui Collegii, qui vocem passivam in hac electione habent. Collegia autem haec minora, Superioris cura, Vocalem suum mature delegent, ut suo tempore in Capitulo Collegii maioris adesse commode possit.

Quae minora Collegia ternario, praeter Superiorem, Vocalium numero carent, singula in tempore nomina suorum Vocalium vocem passivam in eligendo Socio habentium mittant ad Collegium maius loco proximum.

Attamen si Collegium maius eadem qua Collegium minus urbe contineatur, vel si alterum ab altero parum

distet, licet Superiori et omnibus Vocalibus Collegii minoris in Capitulum Collegii maioris coram venire.

Si quando opportunum iudicetur, Vocales plurium Collegiorum minorum eiusdem Provinciae in horum unum, tamquam in Collegium maius, convenire pro eligendo Socio; id ut liceat una Consultatio Praepositi Generalis decernat oportet, postquam Praepositus Provincialis petitionem illi exhibuerit.

II. *De Capitulis Provincialibus.*

In Capitula Provincialia hi tantum convenient: Praepositus Provincialis, Superiores locales eiusdem Provinciae cuiuscumque gradus sint, et Socii per Capitula locorum electi. Si Praepositus Provincialis sit simul Praepositus Collegii, eius Vicarius, eo prorsus quo Superiores locorum iure, et ipse conveniet. Si autem Praepositus alicuius ex romanis Collegiis sit etiam Assistens Generalis, hic in Capitulo Provinciali *coram* coacto habeat primatum honoris, Provincialis vero primatum iurisdictionis, non tamen supra Assistentem ipsum (*Declar. Cap. Gen. an. 1892*).

In Capitulo Provinciali Praeses debet *commonere* Capitulares de eorum obligatione observandi et exequendi Constitutiones et Decreta ad S. Officium adversus haereticam pravitatem pertinentia, prout praecepit Urbanus VIII per decretum a S. C. Inquisitionis die 24 Aprilis 1633 datum, quod incipit « *Sanctissimus Dominus* »; ideo expedit ut in praedicto Capitulo, sicut in Generalibus Comitiis, decretum illud perlegatur; eo vel magis quod summam omnium Constitutionum et Decretorum ad S. Officium pertinentium contineat (*Compend.* etc. pag. 58 seqq.).

In his Capitulis 1° fas erit ea omnia pertractari ac definiri, quae utiliter et opportune Capitulo Generali proponi posse Patres censuerint; 2° eligentur duo Socii, qui una cum Praeposito Provinciali in Capitulum Generale convenire debent; 3° in unaquaque Italiae Provincia fiet nominatio septem Examinatorum Provincialium, ita quidem ut duo ordinarii Consultores Praepositi Provincialis ceteris quinque adnumerentur (Decr. *Regulari Disciplinae, p. I, art. 2 et Decl. n. 5*). Septem horum Examinatorum nominatio una scheda fiat; scheda autem horum tantum nomina inscripta habeat; nominatio enim Sociorum schedula fiet altera. Utraque tamen, si Capitulum fiat per litteras, una poterit includi epistola.

Ad Capitulum Provinciale ii, quibus ius est conveniendi, coram venient; nisi forte, flagitante Praeposito Provinciali cum suis Consultoribus, data per Consultationem Praepositi Generalis facultas fuerit habendi Capitulum Provinciale, ut dicimus, per epistolas, ad normam tamen suo loco praescriptam (*Formul. foll. 143 et 203*).

Quo casu Praepositus Provincialis, cum epistolas omnes, quae inclusas habebunt schedulas, acceperit, advocatis suis Consultoribus, omnino intra id tempus quod Capitulis Provincialibus praefinitum est, eas aperiet et peraget scrutinium pro Sociis; intra fines autem Italiae idem praestetur pro Examinatorum Provincialium electione. Si vero postrema die, epistolae adhuc aliquae fortasse desiderentur, scrutinium nihilominus fiet, modo duae saltem e tribus litterarum partes redditae sint. Quod si nec duae partes sint redditae, Sociorum quidem electio fiet hac vice a Consultatione Praepositi

Generalis (*Synops. Decr.* etc.); Examinatorum autem scrutinium Consultatio Provincialis adhuc sustineat donec duae saltem schedularum partes sibi reddantur, et tunc scrutinium instituat et peragat.

Ad haec Capitula quod attinet, probe animadvertendum est, ab unoquoque Superiore locali exhibendum esse Capitulo suo Provinciali scriptum testimonium, quo idem Superior et ceteri Sacerdotes omnes sui Collegii, subscripti ac iurati, fidem faciant, tempore quo ille praefuit, oneribus omnibus Missarum, cum perpetuis, tum temporalibus, plane et sedulo satisfactum fuisse; vel, si modica aliqua oneris pars adhuc supersit, brevi et huic satisfactum iri. Hoc non exhibenti testimonium nulla erit Superiori vox in Capitulo Provinciali neque activa neque passiva (*Decr. S. C. Conc.* diei 23 Nov. 1697, confirm. Litteris *Quo circa* Innoc. XII diei 23 Dec. 1697. - Cf. *Compend. Constit. Apost.* et *Decr.* fol. 70, n. 8). Si Capitulum Provinciale fiat per litteras, huiusmodi testimonium, una cum litteris et schedis supra memoratis, mittatur ad Praepositum Provinciae (quoad Capitula Provincialia cf. § 106, n. V).

III. *De afferendis ad Capitulum Generale.*

Praepositi Provinciales simulque Visitatores Generales sub initio Comitiorum, cum Romam accesserint, tradere Praeposito Generali tenentur scriptum testimonium, eoque fidem facere *forma probante*, se executioni Decretorum Pontificum *super celebratione Missarum* invigilasse, in singulis autem suae Provinciae Collegiis de omnibus Missarum oneribus, item de eorumdem onerum satisfactione, rationem accurate distinctam exegisse; in delinquentes, si quos deprehenderint, ad

declarationem et executionem poenarum, quae iisdem Decretis continentur, processisse; seque in iis, quae ad officium suum spectant, partes suas implevisse. Quod testimonium qui non exhibuerint, sciant se neque activam, neque passivam vocem habituros in Generali Capitulo *(Compend.* l. c. n. 9*)*.

Ut autem id rite praestari possit, simulque Visitatores de statu et conditione suae Provinciae scite valeant edocere Capitulum Generale, expedit ut ante generalia Comitia singuli Visitatores Generales singula suae Provinciae Collegia, etiam incomitati, visitent; eaque, saltem per summa capita, recognoscant.

Praeterea, Praepositus quisque Provincialis curare debet, ut per eos, quibus id officii est, ea, quae sequuntur, diligenter parentur ad Capitulum Generale deferenda:

1° Acta insigniora cum suae Provinciae, tum cuiusque Collegii eiusdem Provinciae triennii spatio, hoc est a celebrato ultimo Generali Capitulo;

2° Summariae rationes administrationis cum arcae Provinciae, tum rei familiaris cuiusque Collegii pro eodem triennio;

3° Testimonium subscriptum a Superiore et Discretis uniuscuiusque Collegii de explicata Conversis regula, traditaque cum Conversis, tum famulis christiana doctrina, ad Constitutionum Apostolicarum vel Congregationis nostrae praescriptum; item de habitis collationibus spiritualibus aliisque conventibus ad quaestiones resolvendas de re morali *(Formular.* fol. 149*)*.

4° Exemplaria decretorum, si quae post ultimum Generale Capitulum data a Consultatione Praepositi Generalis fuerint, pro accipiendis ad tempus legatis

Missarum perpetuis; ut huiusmodi onerum acceptatio approbationi Capituli Generalis, ex praescripto, subiiciatur.

109. - De bonorum temporalium administratione, alienatione, permutatione, locatione, conductione etc.

Bona Regularium communiter possidentium aequiparantur aliis bonis ecclesiasticis, scilicet bonis spectantibus ad opera pia et charitatis ab ecclesiastica auctoritate erecta. Eorum dominium residet primario penes Summum Pontificem, secundario penes Communitatem religiosam vel Congregationem.

Iamvero quaecumque religiosa Sodalitas, nisi aliter disponant leges canonicae, ius habet propria bona administrandi per officiales Conventus, cum vel sine Capituli consensu iuxta regulas cuiusque Ordinis, dummodo id fiat ad utilitatem, non autem ad detrimentum religiosae familiae. Officiales autem illi, ex decreto Concilii Tridentini [1], sunt semper amovibiles.

Ex dictis patet ius Regularium administrandi communia bona subordinari auctoritati Summi Pontificis, qui potest illud suspendere vel moderari, ob suum supereminens ius in omnia bona Ecclesiae. Porro, ex iure Pontificio sequentes restrictiones attendendae sunt:

Alienationes vel *permutationes* immobilium non modici valoris ac mobilium pretiosorum; item, *locationes* et *conductiones* ultra triennium [2], Regularibus quibus-

[1] Sess. 25, c. 2, *de Reg.*

[2] His contractibus non adiicimus *commodatum*, quia res sacrae commodari possunt, modo commodentur ad usum sacrum.

cumque prohibentur, nisi accedat beneplacitum S. Sedis [1]; idque etiamsi alienationes fiant inter Monasteria eiusdem Ordinis, et cum utriusque Monasterii utilitate [2]; ita ut nequeat Praelatus Regularis exuberantes reditus unius Monasterii ad extinguenda debita alterius adhibere [3], nisi agatur de Superiore Generali penes quem resideat, ut apud nos, administratio bonorum totius Congregationis.

Nota inter bona *immobilia* adnumerari etiam quasdam res incorporeas, ut ius ad *decimas* vel ad *pascua; hypothecas speciales,* quae nempe afficiunt certa et determinata bona debitorum; item *census* perpetuos seu vitalitios; *actiones;* denique res corporeas quae adhaerent solo, ut *arbores,* non tamen arbores caeduas, quia earum fructus unice fere consistit in amputatione ramusculorum quae fit absque damno fundi.

Haec lex interdicens alienationem etc. bonorum ecclesiasticorum immobilium haud modici valoris nec non mobilium pretiosorum, absque Apostolico beneplacito vel specialissimo privilegio numquam revocato, valet etiam extra Italiam; quidquid de consuetudine contraria dicat Bouix, a quo dissentit ipsemet Craisson [4].

Sanctio autem huius legis est quod contractus huiusmodi, etiam in foro interno, *nullius omnino sunt roboris* vel momenti, iuxta textum Extravagantis *Ambitiosae* [5];

[1] Extrav. *Ambitiosae* Pauli II, an. 1468. — It. Decret. Urbani VIII, 7 Septembris 1624; et plurimae S. Sedis decisiones.

[2] S. C. Conc. 29 Febr. 1666.

[3] S. C. 27 Iul. 1647.

[4] N. 2922 seqq.

[5] Si tamen Superior ecclesiasticus ratificat contractum, alia pars illum nequit rescindere, quia *nullus* erat in favorem Ecclesiae tantum.

et quod, iuxta eamdem, tam qui alienat quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, *sententiam excommunicationis incurrat;* quae excommunicatio contra « Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis » in Constitutione *Apostolicae Sedis* ponitur inter *excommunicationes latae sententiae nemini reservatas;* et non incurritur si actus sit *imperfectus*, seu non completus, aut si *bona fide* sive *ignorantia probabili* sit completus [1].

Quod ad *nullitatem* istorum contractuum spectat, S. Sedes numquam desiit illam affirmare. Sic S. Cong. EE. et RR. die 12 Septembris 1783 *irritas* declaravit *locationes ultra triennium*, absque Apostolico beneplacito factas; die 6 Februarii 1852 *nullam* declaravit *permutationem* eo quod in contractu facta non fuisset mentio beneplaciti Apostolici et traditio facta fuisset ante illud petitum et obtentum; die 24 Aprilis 1829 pro *radiatione hypothecae* requisivit beneplacitum Apostolicum [2].

Atqui praefata lex requirens beneplacitum Apostolicum pro alienatione etc. bonorum ecclesiasticorum, plures patitur exceptiones.

Prima est circa fructus terrae *qui servando servari non possunt* pro instantis temporis exigentia: altera respicit *retro-venditionem*, modo fiat sine usura, et ius *retro-vendendi* fuerit stipulatum in contractu emptio-

[1] De Angelis, t. II, part. I, pagg, 279 et 280.

[2] *Collectan.* ed. I, pagg. 42, 654, 466; II, pagg. 39, 601, 421. Qnoad *formalitates* servandas in adiudicandis rebus ecclesiasticis, cf. ed. I, pagg. 67. 402, 719; II, pagg. 62, 362, 664.

nis: tertia est *de casibus a iure expressis*. Iamvero casus isti a iure exprimuntur vel negative, vel positive.

Negative excipiuntur casus in quibus devenitur ad alienationem ex necessitate iuris vel facti: *ex necessitate iuris*, quando res immobilis legatur vel donatur Monasterio quod ex instituto suo non est capax acquirendi immobilia nisi ad effectum ea vendendi, ut apud Cappuccinos; vel quando adest praeceptum Iudicis pro certa re alienanda; vel cum proprietarii subire debent legem *expropriationis* a civili auctoritate, ob publicam utilitatem, illis, volentibus nolentibus, impositam; vel quando immobilia donata sunt a testatore cum iniunctione illa vendendi: *ex necessitate facti,* cum alienatio moram non patitur, quo tamen in casu requiritur licentia Ordinarii. Sic, si fames saeviat in regione, nec aliter pauperibus provideri possit nisi alienando, et aliunde tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, licentia Ordinarii sufficit.

Positive autem, ex canone *Terrulas*, excipiuntur, ut iam innuimus, *immobilia modici valoris,* nec non *mobilia non pretiosa*. Porro in stylo romanae Curiae *exiguae et modici valoris* dicuntur res quae non excedunt summam scutatorum 41 cum obulis 25 monetae romanae [1]; sed, ait cl. De Angelis, si in aliqua Dioecesi ex centenaria vel saltem quadragenaria consuetudine, considerata sint ut non pretiosa immobilia quae non excedunt pretium 50 scutatorum romanorum, et actuum frequentia comprobatum fuerit pro alienatione talium bonorum non esse requisitum beneplacitum Apostolicum, sed sufficiens fuisse beneplacitum Epi-

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 331 : II, pag. 298. — De Angelis, t. II, part. I, pag. 270.

scopi, S. Congregatio Concilii hanc consuetudinem admisit [1]. Praeterea, recentiores Auctores autumant nostris temporibus, ex diminuto pecuniae valore, considerandas esse ut res exiguas et modici valoris quae non excedunt valorem *quingentarum libellarum*. Imo, ut addit Del Vecchio [2], in quibusdam Dioecesibus ut res exiguae habentur illae quarum valor non excedit summam *libellarum sexcentum*. Affert autem auctoritatem Lucidi, iuxta quem, ex S. Congregatione Concilii, *certa et indubitata hodie est regula ut consuetudini cuiusque Dioecesis legitime praescriptae standum sit.*

Nota tamen facultatem permittendi alienationes immobilium modici valoris et mobilium non pretiosorum competere quidem Episcopis ac etiam Abbatibus *Nullius*, minime vero, citra speciale privilegium, aliis Praelatis Regularibus, quamvis maioribus, ut S. Congregatio pluries declaravit [3]; quapropter Regulares, quantumcumque exempti, in huiusmodi exiguarum rerum alienatione indigent licentia et decreto Ordinarii, ut firmat etiam Benedictus XIV (*Instit. Eccles.* LXIX). Ita post Monacelli et Bizzarri, docet De Angelis [4]: at Craisson hanc doctrinam mitigat, quoad mobilia non pretiosa, in favorem Regularium virorum; huic enim quaestioni, an Regulares ab Ordinario dependeant quoad bonorum alienationem, respondet [5]: « Ab illo

[1] De Angelis, t. II, p. I, pag. 271.

[2] *Theol. Mor.* vol. I, n. 625, in nota.

[3] 10 Ian. 1653; et 11 Ian. 1692.

[4] Monacelli, *Formul. Eccles.* tit. 5, form. 15. — Bizzarri, *Collectan.* ed. I, pag. 331; II, pag. 298. — De Angelis, t. II, part. I, pag. 283.

[5] N. 2925, seqq.

non dependent quoad alienationes quae beneplacito Apostolico egent, tunc enim sufficit licentia Summi Pontificis; quoad alias alienationes, si sint boni *immobilis* modici valoris, certum est licentiam Ordinarii esse requisitam, saltem quoad Communitates non exemptas..; quoad vero Communitates exemptas non ita constat: in eodem tamen sensu fuit decisum in casu particulari a S. Congr. Conc. 8 Maii 1751 (Vid. Bouix, pag. 297-98). Si vero sint bonorum *mobilium non pretiosorum,* distinguendum est inter Communitates virorum, ac mulierum; in prioribus, sive vota emittant sive non... libera est omnino administratio bonorum (immobilibus et mobilibus pretiosis exceptis): constat ex eo quod huiusmodi Communitates habeant ex se facultatem bona sua administrandi quoties contrarium lex ecclesiastica non statuit; porro nullum est ius commune praecipiens Communitatibus virorum ut Ordinario subiiciant interiores oeconomiae actus, imo in hoc sensu fuit decisum pro Oratorianis S. Philippi Nerii, et decisionem confirmavit Benedictus XIV in sua Constitutione *Emanavit,* 21 Ian. 1758 ». Huic opinioni libenter subscribimus.

Sed quid venit nomine *mobilium pretiosorum?* Communiter considerantur ut *pretiosa* mobilia quae vel in *Thesauro* alicuius ecclesiae continentur, ut sacra vasa, ostensoria, paramenta auro et gemmis confecta; vel ea quae propter artem, raritatem et antiquitatem conferunt ecclesiae specialem splendorem, ut tabulae pictae et sculpturae magni valoris; vel bibliothecae copiosae; vel iura incorporea, ut iurisdictio, praeeminentia etc.; vel sacrae imagines quae in magna apud populum veneratione sunt; vel insignes reliquiae San-

ctorum; vel illa mobilia (aut se moventia) ex quorum fructibus ecclesia annuos reditus percipere solet, velut ovium grex, armentum boum, equorum praesepium, non tamen eorum fructus; licet enim, absque beneplacito S. Sedis, vendere et alienare arietes, haedos, vitulos, aliosque huiusmodi fructus [1].

Praeterea, lex de non alienandis absque Apostolico beneplacito bona ecclesiastica, minime interdicit consuetas et ordinarias *eleemosynas,* nec *parvas donationes* remuneratorias a Superiore faciendas, iuxta ea quae diximus *de munerum largitionibus* (§ 68); nec venditionem fructuum terrae, vini et similium quae Conventui superfluunt; nec incisionem sylvarum caeduarum ad vendenda ligna, imo nec incisionem arborum in sylva non caedua, si ideo fiat ne undique succrescentia arbusta impediant uberiorem arborum vegetationem; et tunc pretium non est ex aliqua lege investiendum, sed consideratur ut fructus fundi ipsius [2].

Possunt quoque sine Apostolico beneplacito alienari *bona relicta incapaci possidendi,* v. gr. Religioso solemniter professo, sive parvi sive etiam magni valoris sint, quando nondum sunt alicui Monasterio applicata seu dicata, quia tunc nondum sunt bona ecclesiastica [3].

Item, *pecunia communis* expendi potest *ad emenda immobilia fructifera;* vel in *publicis titulis*, et etiam *apud Bancarios*, quos vocant, *collocari,* dummodo prudenter et legitime (cf. § 76, 5°) id fiat; quia sic Sodalitatis patrimonium, quin minuatur, augetur, et aliunde

[1] Cf. Ferraris, *Bibliotheca* etc. vv. *Alienare, Alienatio.*

[2] S. C. 17 Febr. 1840, approbante Greg. XVI, 17 Dec. 1841. — *Collectan.* ed. I, pag. 105; II, pag. 98.

[3] Del Vecchio, vol. I, n. 625, ex Scavini et S. Alph. M. de Lig.

summa sic mutuo data semper retrahi potest. Ceterum, bona Regularium alienari, etsi cum licentia, non debent, nisi ob necessitatem, vel manifestam utilitatem vel pietatem [1].

Circa locationes et conductiones ultra triennium notandum est prohibitionem non habere locum cum ex fundo locato reditus vel fructus percipiuntur tantum biennio vel triennio; tunc enim locatio fieri potest etiam ad sexennium vel respective ad novennium.

Notandum insuper locationem fieri non posse, absque beneplacito Apostolico, ad triennium cum pactione eam renovandi ad secundum triennium vel etiam ad tertium, nisi opportuno tempore denuncietur cessatio contractus; sicut nec potest apponi contractui, in favorem conductoris, promissio praelationis in casu renovationis contractus: hae tamen locationes probabilius valerent, etsi illicitae, pro primo triennio.

Lex autem, de qua sermo, respicit non solum *praedia* beneficiorum et ecclesiae, sed etiam locationem *fructuum* et *redituum.*

Denique locationes bonorum ecclesiasticorum fieri nequeunt *anticipatis solutionibus in praeiudicium successorum,* sicut nec vendi possunt fructus beneficii *ad vitam* Beneficiati aut ad longum tempus [2].

Quid vero iuris competat Ordinario circa administrationem bonorum Sanctimonialium, vel etiam Religiosorum non exemptorum, vide apud probatos Auctores [3]. Vide insuper in Decretis nostrorum Capitulorum

[1] Cf. De Angelis t. II. part. 1, pag. 274. — Quoad *investimentum* praescriptum, vid. ibid. pag. 276.

[2] Cf. pro his omnibus De Angelis l. c. pagg. 286 et 287.

[3] V. gr. Craisson, n. 2928, seqq.

Generalium ad caput 17 libri IV Constitutionum quaenam summae expendi possint absque speciali licentia, sive a Superioribus et Capitulis localibus sive a Praepositis Provincialibus; nec non quid nobis praescribatur pro pecunia in publicis vel particularium administrationum titulis collocanda [1].

[1] *Synops.* etc. anni 1895, pag. 35, seq.

CAPUT XIV

DE REGULARIBUS AD ECCLESIASTICAS DIGNITATES EVECTIS, AUT AD ALIAM RELIGIONEM MIGRANTIBUS

Sommarium. — 110. De Episcopis et Cardinalibus Regularibus. — 111. De transitu Regularium ad aliam Religionem.

110. - De Episcopis et Cardinalibus Regularibus.

Religiosi ad Episcopatum vel Cardinalatum evecti, quamvis a suis Monasteriis seu Conventibus divulsi, religiosi esse non desinunt; siquidem *substantia* status religiosi ab illis dignitatibus non excluditur. Igitur:

I. *Quoad vota*, ab illis iuxta sui Ordinis regulam observandis minime absolvuntur; nam, misso *voto castitatis* de quo non potest moveri dubium, manet *votum obedientiae*, quamquam terminis relationis immutatis, quatenus per illud, loco Superiorum regularium, ponuntur sub immediata obedientia Summi Pontificis: manet quoque *votum paupertatis*, quoad incapacitatem dominii circa bona temporalia, licet, quoad usum, minus stricte ad paupertatem facti teneantur ob suae dignitatis *exigentias*. Utique Episcopus Regularis, sive sit etiam Cardinalis sive non, si *residens* sit, scilicet si ecclesiam regendam susceperit, a die suae confirmationis fit capax acquirendi dominii, et acquirit ius successionis seu capiendi testatas vel intestatas haereditates sibi post promotionem delatas, et liberum

usumfructum, quoad vixerit, ita ut de reditibus possit disponere inter vivos; at illorum bonorum *proprietas* pertinet ad ecclesiam cui desponsatus est, illique, non sibimetipsi, acquirit; nec potest de aliquo per testamentum disponere nisi ex speciali Summi Pontificis dispensatione [1].

Porro quod diximus de Episcopo *residente*, dicendum quoque est de Episcopo *titulari* et de Cardinali non Episcopo; nisi quod isti quidquid superest conservationi eorum status ac dignitatis, in pietatis vel charitatis opera, si Regulares sint, impendere debent.

II. *Quoad regulam*, Episcopus vel Cardinalis Regularis ad eam observantiam tenetur quae personae a Communitate seiunctae et ad illam dignitatem evectae congruit, ita nempe ut in collisione status regularis cum dignitate et munere Episcopi vel Cardinalis, vincat dignitas et munus, praevio ipsius prudenti circa hanc collisionem iudicio; non enim decet, praesertim si de Episcopo residente agatur, Ecclesiam sibi desponsatam, quae libera est, subiacere incommodis et iacturis ob singularia sui sponsi vota singularesque leges [2]. Quod autem, his factis exceptionibus, ad suae regulae observantiam teneatur, sententia est S. Thomae [3], Benedicti XIV [4], aliorumque, contra Suarez, S. Alphonsum M. de Lig. aliosque [5], confirmata per Constitutionem

[1] Cf. *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 228. Circa speciales facultates a S. Sede Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus concessas, et circa *sacra utensilia* de quibus disponere possunt, cf. Breve Pii IX, 1 Iun. 1847. (*Collectan.* ed. I, pag. 127; II, pag. 117).

[2] *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 466.

[3] 2. 2. q. 88, art. 11, ad 5; et q. 185, art. 8.

[4] De *Beatif.* l. 3, c. 3, n. 11.

[5] *Acta S. Sedis*, vol. I. pagg. 441-446.

Custodes a Benedicto XIII die 7 Martii 1725 editam, in qua Pontifex *praecipit in virtute sanctae obedientiae* Regularibus tam ad Episcopatum quam ad Cardinalatum evectis, *ut singulis suae regulae officiis et obligationibus,* quae Pontificale sive cuiusque alterius dignitatis aut Cardinalatus officium minime impediant, *perpetuo subsint*[1]. Nec amplius de hac doctrina dubitari potest post responsum a S. Congregatione EE. et RR. die 6 Maii 1864 datum, et a Pio IX probatum; huic enim quaestioni: « An et quomodo Episcopus Regularis teneatur ad regulam quam professus est », S. Congregatio respondit: « *Affirmative,* ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII, incipientis *Custodes:* nempe Episcopus Regularis tenetur observare regulas suae Religionis quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias dignitati vel officio Episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem Episcopalem; ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre possit utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant[2] », Verum paucae sunt regulae ad quas Episcopus vel Cardinalis Regularis practice tenetur; demptis enim illis quae officia Ordinis vel communem vivendi rationem vel dependentiam a Praelatis respiciunt, nec non quae officio ac dignitati Episcopi aut Cardinalis repugnant, remanent observandae solae regulae quae votum paupertatis personalis spectant, et quae praescribunt preces, ieiunia aliasque mortificationes, et quidem si ipsemet in casibus particularibus se ad illas obser-

[1] *Acta S. Sedis,* l. c.

[2] *Collect.* ed. I, pag. 774; II, pag. 719.

vandas teneri prudenter iudicet; nam, etiam in iis quae suo officio vel dignitati non repugnant, *potest dispensatione uti, secundum quod requirit necessitas personae vel officii et conditio hominum cum quibus vivit, per modum quo etiam Praelati Religionum secum dispensant* [1]. Adde quod si regula per se non obliget nec sub gravi nec sub levi, Episcopus vel Cardinalis Regularis nec graviter nec leviter peccabit illam transgrediendo, nisi accedant circumstantiae contemptus, scandali, vel pravi finis, ut alibi explicavimus (§ 72). Quod si Episcopus vel Cardinalis Regularis obtinuerit indultum *saecularizationis perpetuae,* probabilius non tenetur ad alias regulas observandas quam quae respiciunt *essentialia votorum* [2].

III. *Quoad habitum,* Episcopus vel Cardinalis Regularis, si sit membrum Ordinis habentis habitum *canonice proprium* (§§ 9 et 75), potest, retento *colore* habitus suae Religionis, sese conformare *formae* habitus Episcoporum vel Cardinalium saecularium [3]. Quoad *materiam* vero, Cardinales et Episcopi Regulares uti solent vestibus laneis, non sericis.

IV. *Quoad sacros ritus* tenentur in Officio et Missa sequi *Proprium,* non sui Ordinis, sed Dioecesis [4].

V. Quod si Episcopus vel Cardinalis Regularis *deponatur,* vel Summo Pontifice consentiente, officio aut dignitati *renunciet,* ad claustra redire tenetur. Si agatur de Episcopo, et nolit ad claustra redire, privatur usu Pontificalium; et si manserit in contumacia, ex prae-

[1] S. Th. 2. 2. q. 185, art. 8.

[2] Bizzarri, *Collectan.* l. c. in nota.

[3] S. R. C. 11 Iun. 1605.

[4] S. R. C. ut sup.

citata Constitutione *Custodes*, post annum evadet suspensus a divinis. Ideo Conventus seu Congregatio tenetur illum alere, nisi ipse aliunde habeat unde sibi subveniat. Probabilius autem non tenetur ad *strictam* Regulae observantiam, quia semper retinet episcopalem dignitatem. Secus dicendum de simplici Cardinali; hic enim, Cardinalatu deposito, nihil retinet de praeterita dignitate, adeoque cuivis alii simplici Religioso aequiparatur. Et quod dicimus de Episcopo vel Cardinali Regulari ab officio et dignitate deposito vel renunciante, dici quoque debet de Episcopo vel Cardinali saeculari, qui, dignitate deposita, alicui Religioni nomen daret.

III. - De transitu Regularium ad aliam Religionem.

Iam alibi diximus (§ 26) non licere Regularibus transire ad Religionem *laxiorem* absque Summi Pontificis venia, neque ad *aequalem* nisi cum eadem venia vel saltem, si adsit iusta causa nec obstet speciale ius, cum venia proprii Praelati; licere autem transire ad *strictiorem*, petita, quamvis non obtenta, proprii Praelati licentia, dummodo hic transitus non fiat ex temeritate vel levitate animi, nec cum iniuria vel gravi iactura proprii Ordinis, ita ut desiderium maioris perfectionis sit potius praetextus quam prudens mutationis causa. Ibidem quoque explicavimus quandonam locum habeat damnum seu iniuria proprii Ordinis in huiusmodi transitu.

Sed, praeter dispositiones iuris communis, attendendae sunt dispositiones iuris particularis. Iamvero Religiones formales gaudere solent privilegio, quo pro praedicto transitu ad *strictiorem* Religionem requiritur ob-

tenta licentia proprii Praelati, vel Apostolicae Sedis. Nobis vero ex Bulla Gregorii XIII [1] vetatur ne quis absque expresso consensu Praepositi Generalis transeat ad strictiorem Religionem, praeter Carthusianam. Si quis autem ex nostris ad Ordinem Carthusianum transire velit, id praestare debet intra tres menses a die qua e Congregatione nostra discesserit; et si a Praeposito Generali obtinuerit licentiam transeundi ad alium Ordinem praeter Carthusianum, nostro tamen strictiorem, tenetur se ad illum conferre infra tempus ab ipso Praeposito Generali illi praefigendum; in utroque casu, nisi Ordinem strictiorem ingrediatur infra tempus descriptum, vel si in Ordine strictiore non perseveraverit, tenetur ad nostram Congregationem redire. Id quidem ex citata Bulla Gregorii XIII, quae est anni 1577; at postea, nempe die 21 Septembris 1624, S. Congregatio Concilii, sub Urbano VIII, generali decreto statuit ne ullus Religiosus permittatur transire ad arctiorem Religionem *nisi Superiori constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere qui licentiam petit; tumque Regularis recta se transferat ad arctiorem.* Sed hodie, ut innuimus § 26, Romana Curia sibi advocat ius concedendi licentiam transeundi ad aliam, quamvis strictiorem, Religionem. Porro circa hoc attendenda sunt quae decrevit Benedictus XIV in Constitutione *Pastor bonus* diei 13 Aprilis 1744 de facultatibus Cardinalis Maioris Poenitentiarii, ubi haec habentur: « Quoad transitum vero de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, iuxta caput *Licet, de Regularibus,* verum etiam ad aequalem, et

[1] Bullar. n, pag. 32.

ab arctiori ad laxiorem, ob iustas tamen et graves respective causas ab eodem Maiori Poenitentiario probandas; *audito prius Superiore Ordinis a quo, et cum consensu Superioris Ordinis ad quem faciendus est transitus.* Pro maiori autem transitus firmitate, *in his omnibus casibus possit idem Maior Poenitentiarius statutis et privilegiis quomodolibet obstantibus opportune derogare.* Verum abstineat ab huiusmodi transitu concedendo ad alias Religiones seu Ordines, praeterquam ad illas seu illos in quibus claustralis et regularis observantia vigere dignoscatur; quod si de tali claustrali et regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit Ordinarii attestatio. Abstineat pariter a transitu praedicto concedendo ad Ordines hospitalares et militares, quamvis in istis claustralis et regularis observantia vigeret, nisi forte ad Ordinem S. Ioannis de Deo. Neque item eumdem transitum concedat ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiae, aut ad alias consimiles Congregationes cuiuscumque Ordinis fuerint ». Hucusque Benedictus XIV.

At, subiungit cl. De Angelis, « notandum est hodie etiam observari (nisi aliter in rescripto translationis expressum fuerit, aut dispensatio data sit) id quod habet Clementina 1ª *De transeuntibus a Religione aliqua Mendicantium ad aliam non Mendicantium*, nempe *a*) eiusmodi transeuntes reddi inhabiles ad Prioratus, administrationes et officia quaecumque, etiam tamquam vicarios et locum aliorum tenentes; *b*) exercere non posse curam animarum per se vel per alios, aut promoveri ad beneficia saecularia quaecumque; *c*) vocem nullam et locum in Capitulo habere, quando Capitulum est congregatum ad electiones vel alios tractatus haben-

dos. Secus autem est si Capitulum sit congregatum dumtaxat ad correctionem et disciplinam regularem » [1].

Verbum de Monialibus ad aliam Religionem, cum debita licentia, transeuntibus. Cui pertinet earum dos? Ipsas sequitur, si habeant tantum vota simplicia, salvis specialibus regulis a S. Sede approbatis: si vero sint solemniter professae, Monasterium derelictum dotem retineat, sed illis suppeditet sufficientia media sustentationis, nisi malit reddere dotem [2].

[1] T. II, part. II, pag. 119.
[2] Cf. Gotelli l. III, c. 5, § 6.

CAPUT XV

DE REGULARIBUS EXTRA CLAUSTRA DEGENTIBUS

SUMMARIUM. — 112. De conditione Regularium extra claustra degentium. — 113. De Regularibus vi dispersis. — 114. De apostatis et fugitivis. — 115. De dimissis vel electis a Religione, — 116. De Regularibus saecularizatis. — 117. De successione in bona relicta a Regularibus dispersis, vel electis, vel saecularizatis, etsi munitis Apostolico indulto acquirendi bona et de iis disponendi.

112. - De conditione Regularium extra claustra degentium.

Regulares extra claustra degentes aut permanent sub obedientia Superiorum Ordinis, aut non; *qui permanent,* vel degunt extra claustra *de mandato* aut saltem *cum licentia* Superiorum (velut iter agentes, et propriam valetudinem curantes vel sacra ministeria exercentes in locis ubi Conventus proprii Ordinis non habentur), vel degunt extra claustra *ex violenta dispersione;* qui vero *non permanent* sub obedientia Praelatorum Regularium, vel illi subtrahuntur *ex mandato Summi Pontificis* (ut Episcopi, Cardinales, Nuntii, Legati, Vicarii vel Praefecti vel Visitatores Apostolici, quos Summus Pontifex ponit sub sua immediata obedientia), aut illi ipsimet se subtrahunt *proprio marte* (ut apostatae et fugitivi), aut illi subtrahuntur *a Religione ipsa* in poenam suorum criminum (ut dimissi et electi), aut denique illi subtrahuntur *ex indulto Pon-*

tificio, ut saecularizati. Porro de iis qui extra claustra degunt *de Superiorum licentia* vel *ex mandato Summi Pontificis* satis superius egimus (§§ 81 et 110); de reliquis verbum fecimus quoad privilegium exemptionis (§ 81), at nunc fusius pertractandum.

113. - De Regularibus vi dispersis.

Regulares extra proprios Conventus vi auctoritatis civilis inique dispersi tenentur vivere iuxta suam vocationem; vota Religionis et, quoad fieri poterit, regulam servare; a legitimis Superioribus Provincialibus dependere, nisi habeant etiam Superiores immediatos locales; in proprio habitu, si fieri possit, incedere, secus in habitu clericali, aut, si clerici non sint, in habitu saeculari modesti coloris, semper tamen sub hoc habitu aliquod signum suae Religionis gestantes (quod respicit tantum Religiosos habitum canonice proprium habentes); denique redire ad vitam coenobiticam statim ac ea possibilis evadat et ad eam ineundam convocentur a propriis Praelatis, qui nihil intentatum relinquere debent ut eos quam citius ad communem vitam revocent. Interim, stante necessitate et non obstante voto etiam solemni paupertatis, *dispersi* possunt res necessarias sibi comparare, pecuniam accipere et servare, contractus quosdam inire, et haec omnia cum licentia saltem generica vel etiam praesumpta Superiorum.

Quidquid tamen acquirunt, quoad proprietatem, non sibi, sed Religioni acquirunt.

Si in ingressu in Religionem bona sua alicui donaverint, Religione postea civiliter dissoluta ipsisque di-

spersis, donatarius tenetur illis alimenta praestare, si non habeant unde vivant; secus, ex iure canonico, locus dari posset *revocationi* donationis, et regressus in possessionem ex venia Summi Pontificis [1].

Possunt insuper, ex Pontificio indulto deque Superiorum Ordinis licentia, consentientibus Ordinariis, cappellanias aut etiam beneficia ecclesiastica cum animarum cura suscipere, sed unum tantum; illudque dimittere tenentur statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint [2].

Licet quoque illis, titulo compensationis sibi a Gubernio debitae, percipere *pensiones* ab eodem assignatas Religiosis dispersis; sed, quamdiu in communione cum Sodalibus vixerint, pensionem deponere debent apud Superiores pro totius Communitatis bono.

Ex speciali indulto eis permittitur ut, de intelligentia Ordinarii loci ac respectivi Superioris Generalis, inter se dividere et pro suis necessitatibus applicare valeant pecunias in capsa communi, in momento suppressionis, fortasse existentes; nec non supellectiles domesticas aut alias res usu consumptibiles; ea tamen lege ut, si ad claustra redierint, et pecunias aliasque res nondum consumpserint, eas Superioribus restituere teneantur.

Dum autem remanent extra claustra, et absque proprii Ordinis Superiore, tamquam saecularizati ad tempus et ad nutum Sanctae Sedis ac Superiorum Regularium, Episcopo loci subduntur, qui imo eos quandoque corrigere potest, etsi proprios Superiores habeant (cf. § 81).

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 113; II, pag. 104.

[2] Cf. *Acta S. Sedis*, vol. V, pag. 86; IX, pag. 348; X, pag. 541.

Ceterum S. Poenitentiaria declaravit iurisdictionem Superiorum Regularium in proprios subditos suppressos non ideo cessare quia isti extra claustra degunt; nam, licet Regularis degens extra claustra quoad externam politiam et ecclesiasticam disciplinam ab iurisdictione Ordinarii loci in quo degit exemptus non sit; tamen, quoad disciplinam regularem et obligationes ex religiosa professione promanantes et cum novo Religiosi statu compatibiles, propriis Superioribus subesse eisque obedire tenetur.

Curandum tamen est ut Regulares a propriis Domibus expulsi, praesertim vero Clerici professi, quatenus in aliud Coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum a Superioribus suis designandam conveniant, ibique regulam quam professi sunt meliore quo fieri potest modo observare non omittant, facta cuilibet discedendi, absque debita licentia, prohibitione. Praefatae domus, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, iurisdictioni Provincialis subduntur, et regendae sunt per peculiarem Superiorem ibi constituendum. Iamvero S. Sedes indulsit ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant Sacerdotes Regulares, erigi possit, servatis de iure servandis, privatum Oratorium a Provinciali sive ab alia idonea persona ab eo deputata visitandum prius et approbandum; ita ut in eo Missa a Sacerdotibus Regularibus celebrari, Sanctissima Eucharistia asservari, et a Religiosis atque Oblatis dumtaxat S. Communio sumi, et praecepto de audiendo Sacro satisfieri possit. Indulsit pariter ut in Oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui possint omnibus et quibuscumque Indulgentiis concessis et assi-

gnatis Domibus seu Ecclesiis a quibus exturbati fuerint; ita tamen ut memoratae Indulgentiae in ipsius Ordinis Ecclesiis, quibus affixae et assignatae fuerunt, quamdiu iisdem Ecclesiis aliquis Sacerdos eiusdem Ordinis legitima auctoritate praepositus fuerit, perdurare ut antea omnino censeantur. Indulgentiae vero personales integrae remanent omnibus et singulis Regularibus dispersis, etiam in saeculo de legitima licentia viventibus.

Indulsit praeterea Regularibus suppressis, etiam extra praefatas domos degentibus, ut possint horas canonicas iuxta proprii Ordinis Calendarium persolvere, Missamque in quacumque Ecclesia de licentia Ordinarii loci celebrare iuxta ritum Ecclesiae in qua celebrari contigerit, servato tamen proprii Ordinis ritu si celebrent in propria Ecclesia, cuius custodia alicui saltem ex suis Sodalibus legitime demandata sit.

Facultatem insuper concessit Superioribus Generalibus et Provincialibus sive per se sive per alios idoneos Religiosos ab ipsis deputandos indulgendi Regularibus sui Ordinis suppressis ut, durantibus praesentium temporum circumstantiis, quemcumque sive saecularem sive regularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, Confessarium sibi eligere valeant, a quo etiam, quatenus opus sit, a casibus et censuris in proprio Ordine reservatis absolvi, et super irregularitate ex violatione earumdem censurarum quomodocumque contracta (dummodo occulta remaneat) dispensationis gratiam recipere in foro tantum conscientiae possint.

Declaravit tandem quibuscumque Regularibus suppressis, sive in aliqua domo, ut supra, commorantibus, sive extra domos religiosas tamquam saecularizati ad

tempus degentibus, licere confessiones suas sacramentales apud Confessarios sui Ordinis legitime a suo Praelato approbatos peragere; quod intelligendum est etiam de iis Confessariis qui ad fidelium confessiones excipiendas minime approbati sint [1]. Notandum tamen Regulares dispersos qui communiter vivunt teneri, nisi legitime dispensentur, ad confitenda peccata sua Sacerdoti sui Ordinis, si in Domo religiosa quatuor saltem inveniantur Confessarii a proprio Praelato approbati. Recole, quoad haec omnia, quae de Regularibus suppressis alibi scripsimus (§§ 80, in fine; 81, 89, II).

114. - De apostatis et fugitivis.

Regulares qui *criminose*, seu proprio marte, Religionem deserunt, si id faciant cum animo non redeundi, *apostatae,* si cum animo redeundi, *fugitivi* seu *profugi* vocantur. Utrique autem in iure aequiparantur. At dici nequit apostata vel profugus qui iniuste et notabiliter a suo immediato Superiore oppressus, recta, etiam non petita illius licentia, pergeret ad Superiorem maiorem ad quem de iure appellare fas est; dummodo gravamen sit evidens, facile probari possit, et nullum aliud medium suppetat vitandae oppressionis; secus, ab Ordinariis locorum tamquam sui Instituti desertor puniendus esset [2].

Verumtamen, etiam in casu exposito, melius procul

[1] Instructiones diei 28 Iunii 1866 et Declarationes diei 18 Aprilis 1867; ibi reperies dispositiones circa Moniales suppressas. — Cf. De Angelis, t. II. part. II, pag. 170-183. — Cf. quoque Decreta S. C. sup. Discipl. Reg. apud *Acta S. Sedis*, vol. VII, pag. 407-414.

[2] Conc. Trid. Sess. 25, c. 4 *de Regul.*

dubio ageret, si, nonnisi post petitam coram testibus fide dignis et minime obtentam Superioris localis licentiam, discederet; optime vero, si nullo modo discederet, et crucem suam humiliter patienterque deferret. Ceterum hodie suppetit aliud medium oppressionis vitandae, idque etiam extra tempus sacrae Visitationis, cum facillimum sit ad Superiores maiores recurrere per epistolas, quod quidem omnibus licet, etiam inscio vel invito Superiore locali.

Nec omittendum Regulares non posse Romam petere sine licentia Praepositi Generalis, aut saltem Provincialis.

His praemissis asserimus apostatas et fugitivos, si habitum dimiserint, incurrere excommunicationem; et insuper, etiamsi habitum retineant, a sacris Ordinibus exercendis suspendi; quod si nihilominus eos exercere praesumant, irregulares evadere; denique, durante apostasia vel fuga, omnibus Religionis privilegiis omnino privari. Alias quoque poenas incurrere possunt, si quae a peculiari Ordinis iure infligantur.

Qui autem apostatas aut fugitivos recipiunt, vel ipsorum apostasiae aut fugae cooperantur et auxilium ferunt, ipso facto excommunicantur.

Apostatae et fugitivi, si quid acquirant, id omne (exceptis quae ex beneficio ecclesiastico forte illis provenirent) Monasterio et, si istud sit dominii incapax, Sedi Apostolicae acquirunt.

Votis insuper ac regulis suae Religionis adhuc obligantur.

Tandem, Praelati regulares eos requirere et ad claustra revocare tenentur. (Circa apostatas et fugitivos (Cf. § 81).

115. - De dimissis vel eiectis a Religione.

I. *Dimissi* post professionem votorum simplicium et ante professionem solemnem, solvuntur a votis Religionis, non excepto voto perpetuae castitatis pro iis qui non sunt Sacris Ordinibus initiati, et ideo cessant omnino esse Religiosi; sed, si sint tonsurati et minoristae, in Clerum saecularem recipi debent (nisi Episcopus, iusta de causa, aliter iudicet, ut superius diximus, § 47); habitum clericalem gestare, in susceptis Ordinibus ministrare, quamvis careant titulo sustentationis; et curandum erit ut quamprimum fieri poterit de huiusmodi titulo provideantur, nec ad Ordines sacros promoveantur nisi illum possideant. Si vero iam sint in sacris Ordinibus constituti, perpetuo suspensi maneant donec a S. Sede aliter eis consulatur, ac praeterea Episcopum benevolum inveniant et de ecclesiastico patrimonio sibi provideant; quod quidem constitutum est etiam pro *eiectis votorum solemnium,* ex decreto S. Congregationis die 4 Novembris 1892 edito; quo insuper praecipitur ut Regulares vota *simplicia* sive perpetua sive temporaria professi, sive *dimissi* fuerint, sive ab Apostolica Sede a votis religionis *dispensati,* sive tandem a votis temporariis ob elapsum tempus *liberi* evaserint, *si sint in sacris ex claustro non exeant* donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; *secus, suspensi maneant* ab exercitio susceptorum Ordinum.

II. *Eiecti* seu *expulsi* post professionem votorum *solemnium*, remanent in statu religioso et votis obligantur

iuxta modum nunc explicandum. Quamdiu ad Religionem non redierint, in habitu clericali incedere debent, saltem si minoribus Ordinibus sint initiati, et nisi ab hac obligatione eos Summus Pontifex dispenset; iurisdictioni et obedientiae Ordinarii loci subsunt; suspensi manent ab omni susceptorum Ordinum exercitio; neque in Ecclesiis concionari aut in ecclesiasticis Universitatibus docere possunt. Ius non habent ut sibi a Religione alimenta suppeditentur, nisi fuerint iniuste expulsi; sed antequam id iuridice constet, lite scilicet pendente, a Religione ali debent. Tenentur *ad essentialia votorum; castitatem* quidem integre servare; *obedientiam* vero, etiam vi voti Religionis, Ordinario loci praestare; quod autem ad *paupertatem* attinet, remanent dominii incapaces, sed propter praesentis status necessitatem habent administrationem et usum bonorum quae acquirunt; possunt emere, vendere, donare prout eorum conditio exigit; nequeunt tamen magnas, superfluasque expensas aut donationes facere. Quoad proprietatem, bona ab ipsis acquisita pertinent ad R. Cameram Apostolicam, idest ad thesaurum S. Sedis. *Regulis* essentialia votorum haud respicientibus non amplius obligantur: neque tenentur, nisi sint *in sacris, horas canonicas* recitare. Si decedant extra claustra, non sunt in Monasterio seu Conventu sepeliendi.

Ceterum stricte tenentur sese emendare, et, emendati, curare ut iterum in Religionem admittantur; ad quod etiam ius habent si litteris testimonialibus Ordinarii probaverint sese emendasse, salvo iure Religionis recurrendi ad Apostolicam Sedem; quamquam generatim Superiores teneantur, et obligari possint etiam sub censuris, ad recipiendos sive *eiectos* sive

fugitivos sive *apostatas*, si certo constet illos sese emendasse [1].

Quod si emendatus non admittatur, postquam id petierit, potest tuta conscientia in saeculo remanere, nec tenetur aliam Religionem ingredi.

Quae autem sint causae sufficientes et necessariae ad *dimittendos* professos votorum simplicium, et ad *eiiciendos* professos votorum solemnium, vel quomodo ad id procedendum sit, iam satis exposuimus superius (§§ 56, 57 Cf. quoque § 81).

116. - De Regularibus saecularizatis.

Saecularizatio, *in sensu absoluto*, consistit in solutione aut dispensatione a votis Religionis, et conceditur professis votorum simplicium per dimissionem vel per indultum Pontificium; sed professis votorum solemnium rarissime nec nisi ob gravissimas causas a Summo Pontifice conceditur, praesertim quoad votum castitatis, eoque magis si agatur de Clerico in sacris Ordinibus constituto. *In sensu relativo* autem saecularizatio est permissio a S. Sede Regularibus ob graves causas concessa degendi extra claustra sub conditionibus mox exponendis. Conceditur vero vel *ad tempus* vel *in perpetuum*, ad tempus autem vel specialiter *determinatum*, puta ad annum, ad triennium etc. vel *indeterminatum* seu *generice* tantum *determinatum*, v.

[1] Const. Greg. IX, ab Urbano VIII innovata. *Compend.* pag. 21, n. 7. Nota tamen responsum datum Procuratori Generali Minorum Cappuccinorum a S. C. sup. Discipl. Reg. d. 22 Ian. 1886: *Quando gli espulsi escono dall'Ordine con processo sommario autorizzato dalla S. Sede, questa ha avocato a sè la giurisdizione sopra l'individuo, il quale non pnò essere riammesso nell'Ordine senza la Congregazione.*

gr. ad nutum Superiorum aut S. Sedis, vel quamdiu causa (ut infirmitas oratoris, eius parentum necessitas etc.) perdurabit.

Quoad *conditiones* appositas, generatim standum est terminis *rescripti*, nec non *executionis*. Qua de re sciendum est rescripta S. Congregationis sub triplici forma expediri, 1° in forma *gratiosa*, raro tamen et in aliquibus tantum casibus; tunc gratia directe conceditur sine ulla commissione pro executione; v. gr. *Sacra Congregatio petitam gratiam Oratori benigne impertita est.* 2° in forma *absolute commissoria*, si S. Congregatio gratiae concessionem remittat omnino arbitrio et conscientiae executoris, ex. gr.: *S. Congregatio Oratoris preces remisit arbitrio et conscientiae Episcopi cum facultatibus necessariis et opportunis.* In hoc casu concessio gratiae dependet ab arbitrio Executoris, qui potest eam concedere vel denegare prout in Domino iudicaverit. 3° in forma *mixta*, cum scilicet S. C. annuit quidem pro gratia, eam tamen non concedit absolute, sed committit Executori ut inquirat an preces veritate nitantur, v. gr.: *S. C. benigne annuit, et propterea mandavit committi Episcopo ut, veris existentibus narratis, Oratori petitam gratiam pro suo arbitrio et conscientia concedat.* Quo in casu Executor non potest pro suo lubito gratiam concedere vel denegare, sed si pro prudenti suo arbitrio et conscientia iudicaverit vera esse quae in supplici libello narrata sunt, rescriptum executioni demandare, secus executionem denegare debet.

Aliquando tamen S. Congr. delegat Executorem qui *merus* dicitur. Is partes iudicis non assumit sicut Executor *mixtus*, nec *cognoscit* de subreptione, sed si evi-

dentem subreptionem *advertat,* nude tantum ab executione se abstinet [1]. Talis est Executor hac rescripti formula deputatus: *S. C., re diligenter perpensa, benigne annuit, ac propterea mandavit committi Episcopo ut petitam gratiam Oratori concedat.* Unde patet *mero* Executori committi nudum seu merum exercitium executionis absque exercitio iurisdictionis.

Quae de Episcopo executore dicta sunt, ad alios quoque Executores, v. gr. ad Superiores Generales Regularium, extendi debent [2].

Iamvero, cum S. C. concedit saecularizationem *ad tempus,* executionem rescripti committit Superiori Generali, cui relinquit facultatem imponendi conditiones sibi bene visas, praeter illas quas ipsamet imponere solet, v. gr. quod Orator habitum religiosum illico dimittat (nisi Ordo illi, petenti saecularizationem ad tempus, faveat eumque commendet, quo in casu S. C. permittit ut habitum religiosum retineat); quod, si in sacris Ordinibus constitutus sit, atque saecularizationem *perpetuam* (quae non solet illico concedi) petierit, dum fruetur saecularizatione *ad tempus* v. gr. ad annum, interim sibi patrimonium provideat, Episcopum benevolum recipientem inveniat, et iterum recurrat pro saecularizatione *perpetua.* Quod si hic, transacto tempore sibi praefixo, vel Episcopum se definitive recipientem minime invenerit, vel patrimonium

[1] A fortiori idem dicendum est de obreptione. *Subreptio* est reticentia veri necessario exprimendi, et locum habet cum in petitione non exprimuntur ea *omnia* et *sola* quae exponi debent. *Obreptio* est expositio falsi, et locum habet cum causa *movens* seu *determinans* ad dispensationem est falsa, quod tamen non intelligitur de causa *mere impulsiva.* Cf. Bucceroni, vol. I, n. 283.

[2] Bizzarri, *Collectan.* ed. I, pag. 666; II, pag. 612.

nondum sibi constituere potuerit, potest denuo terque quaterque recurrere ut rescriptum ad tempus ei renovetur donec duplici illi conditioni faciat satis.

Cum autem S. C. concedit saecularizationem *perpetuam*, executionem rescripti remittere solet Episcopo *originis*, si agatur de Clerico nondum in sacris Ordinibus constituto, et Episcopo benevole *recipienti*, si est in sacris. Si tamen Sacerdos saecularizatus in perpetuum vota tantum *simplicia* emiserit, subiicitur Episcopo *originis* [1].

Post executionem rescripti, saecularizati *solemniter* professi subiici debent Ordinario loci in quo commorantur, quia per solemnem professionem a proprii Episcopi iurisdictione perpetuo fuerant subtracti; quod dici nequit de professis votorum *simplicium*, qui dimittuntur ab Ordine vel a votis dispensantur; aliquando tamen, gravi occurrente causa, S. C. cogit Episcopos ad recipiendos *solemniter* professos qui ante solemnem professionem eorum iurisdictioni subiiciebantur [2].

Ex dictis satis liquet *solemniter professos in perpetuum saecularizatos* adhuc religiosos esse, nisi rite demonstretur eorum professionem fuisse *nullam*, aut forte, quod diximus raro admodum contingere, Romanus Pontifex aliquem ex eis ab obligationibus votorum solemnium absolvat. Hinc S. C., cum perpetuae saecularizationis rescriptum solemniter professo concedit, sinit quidem illum extra claustra quoad vixerit degere, eumque ab obligationibus erga Religionem exsolvit; sed simul declarat sarta tectaque pro illo manere *substantialia* votorum Religionis, quae, quantum in statu

[1] S. C. 6 Mart. 1864, et 27 Febr. 1891.

[2] Cf. *Acta S. Sedis*, vol. XXIII, pag. 633.

saecularizationis fieri potest, in suo robore remanent. Ideo vult ut saecularizatus aliquod religiosi habitus signum, si Religio habitum habeat proprium, interius retineat, quasi ad iugiter excitandam talis obligationis memoriam. Praecipit insuper ut incedat in habitu clericali, aut saltem, si sit laicus, in decenti et modesto habitu saeculari: unde, etiam in habitu saeculari, manet a populo christiano distinctus ratione dignitatis quam coram Deo et Ecclesia vota nuncupando acquisivit; nec fori privilegium amittit; hinc cum huiusmodi statu minime congruit status militaris neque sordidae et indecorae artis officium [1].

Igitur saecularizatus solvitur ab obligationibus quas cum Ordine per professionem contraxerat, et vicissim Ordo solvitur ab obligationibus erga eum susceptis; sed illi remanent solemnia vota Deo nuncupata et obligatio ad ea omnia quae votis servandis essentialia sunt. Commutat Religiosus ille claustra cum propria domo, et commutatur pro illo Superior cui ex nuncupato voto debeat obedire, scilicet, loco Superioris Regularis, subiicitur iurisdictioni et obedientiae Ordinarii loci in quo ipsum immorari contigerit; cui quidem Ordinario omnimode subesse debet, *etiam vi solemnis voti obedientiae.* Quoad votum *paupertatis,* cum sit a Superiorum Regularium potestate solutus, iure fere postliminii suam iuridicam recuperat personalitatem ad vindicanda coram lege civili ea sanguinis et successionis iura quae aliis non fuerint quaesita; proprietatem tamen et omnimodum usum bonorum, ob votum paupertatis, habere nequit [2]. Quare ad habendum usum bonorum quae ho-

[1] *Acta S. Sedis*, vol. II, pag. 116.

[2] *Collectan.* ed. I, pag. 114; II, pag. 105.

nestam sustentationem excedunt, nec non ad habendam potestatem de iis disponendi, praesertim per testamentum, necessaria illi sunt, praeter rescriptum saecularizationis, alia indulta Pontificia, quae dici possunt quaedam particulares dispensationes super voto paupertatis, quaeque strictae interpretationis sunt. Parvas tamen donationes et eleemosynas absque speciali indulto facere potest [1].

Haec quoad *vota*. *Regulis* autem, quae vota ipsa non respiciant, saecularizatus minime obligatur [2].

Hinc patet quid saecularizatus amittat erga Religionem, quidve servet aut acquirat erga statum saecularem ad quem convertitur. *Erga Religionem* amittit communionem omnium bonorum, sive spiritualium, etiam suffragiorum quae pro defunctis Fratribus praescribuntur; sive temporalium, quae propria sunt Ordinis derelicti. *Erga statum saecularem* ea servat privilegia quae saecularizato adhuc competere possunt ob vota solemnia nuncupata, nempe dignitatem personae Deo sacrae, adeoque privilegium saltem fori. Sed quoniam Regularis saecularizatus coram Ecclesia adhuc ut Religiosus habetur, non potest, absque speciali S. Sedis indulto, sibi vindicare iura propria Cleri saecularis, cuiusmodi esset ius ad ecclesiastica beneficia obtinenda, ad ea enim non est idoneus, nisi id in indulto Pontificio exprimatur [3]. Attamen, cum datur indultum perpetuae saecularizationis, ad petitionem Religiosi additur indultum disponendi de bonis ab ipso legitime acquisitis; quo indulto ipse valet de rebus suis inter vivos et

[1] Cf. De Angelis, tom. II, part. I, pag. 373.
Bizzarri, *Collectan.* ed. I, p. 774; II, 719; in nota.

[3] *Acta S. Sedis,* vol. II, p. 116

mortis causa disponere; nec non indultum habendi beneficia etiam in titulum, cum, absque tali indulto, posset ad summum ea consequi in precariam administrationem et exercitium [1].

Si quaeras num Regulares isti qui rescriptum saecularizationis obtinuerunt, ad derelictam Religionem redeuntes, teneantur novitiatum et professionem renovare, respondemus « professionem religiosam non infirmari per rescripta de quibus agitur, ac proinde non teneri indultarios professionem et novitiatum reiterare quando petunt ad claustra redire, salva tamen consuetudine legitime introducta atque praescripta singulorum Ordinum regularium: posse tamen per Superiores religiosos exquiri congrua documenta anteactae vitae et morum dum in saeculo versabantur, et obligari ad spiritualia exercitia peragenda [2].

Huic alteri quaestioni: An saecularizati (intellige, in perpetuum) ad Religionem redeuntes « *abbiano il diritto di contare la loro anzianità o dal giorno della loro professione, o dall'epoca nella quale fecero ritorno in Congregazione* »; *S. C. censuit rescribendum, prout rescripsit, anterioritatem Religiosorum qui perpetuae saecularizationis indultum consequuti sunt, a die reditus in Religionem computandam esse* [3].

[1] De Angelis, t. II, part. II, pag. 184.

[2] S. C. 30 Ian. 1824, cum approbatione SSmi diei 15 Febr. eiusdem anni *Collectan.* ed. I, p. 52; II, p. 48.

[3] 30 April. 1838. *Collectan.* ed. I, p. 483; II, p. 436.

117. - De successione in bona relicta a Regularibus dispersis, vel eiectis, vel saecularizatis, etsi munitis Apostolico indulto acquirendi bona et de iis disponendi.

Ex cl. D'Annibale [1], *eiecti* et *saecularizati* solemniter professi non possunt quidquam *sibi* acquirere, sed quidquid acquirunt, ipsis mortuis, devolvitur R. Camerae Apostolicae: ubi vero ius *spolii* non amplius viget, non pertinent eorum bona ad S. Sedem; utrum vero ad Monasterium pertineant, dubitatur: si usus ad propinquiores defert eorum haereditatem, probabilius non sunt inquietandi.

Verum attendenda sunt insequentia S. Sedis responsa a Pio VII die 26 Iunii 1829 approbata:

« I. Cui competat ius succedendi haereditati Regularis professi decedentis extra claustra, qui Apostolicum indultum obtinuit manendi extra claustra *ad tempus*, retento habitu vel veste sui Ordinis.

Resp. De huiusmodi haereditate iudicandum esse iuxta dispositiones Iuris Ecclesiastici, scilicet eam spectare *ad propriam defuncti Religionem.*

« II. Cui competat ius succedendi haereditati Regularis professi, qui infausto anteacto tempore eiectus publica vi a Coenobio, et veste sui Ordinis expoliatus, rationabiles causae ei obstiterunt ne successivo tranquillitatis tempore ad suum rediret Coenobium, suique Ordinis vestem reassumeret.

[1] *Summula* etc. *De statu religioso.*

Resp. Si Religiosus de quo sermo perpetuae saecularizationis absoluto non fruebatur indulto, *ut in praecedenti* » (nempe haereditatem competere ad propriam defuncti Religionem); « si vero fruebatur, distinguendum est inter bona ab eo relicta; scilicet bona quae Religionis erant secumque e claustro egrediens ipse sustulerat, vel ei utcumque obvenerunt, quemadmodum bona, si quae habebat, ex illis provenientia, *eidem Religioni manere;* quoad autem cetera bona a tali Religioso extra claustra aliter quam ex bonis ad Religionem pertinentibus acquisita, iudicandum de iis esse *iuxta Constitutionum Gregorii XIII: Officii nostri* etc. » (nempe: competere R. Camerae Apostolicae; nisi Religiosus, necessariis facultatibus munitus, haeredes nominaverit; aut etiam ut supra iuxta D'Annibale).

« III. Cui competat ius succedendi haereditati Regularis professi qui Apostolicum indultum obtinuit acquirendi haereditates et legata, et de iis acquisitis disponendi, et signanter si dispositio fuerit ad pias causas et favore Religionis.

Resp. Si dictus Religiosus Apostolico indulto disponendi de bonis, ut in casu, legitime usus est, facta nimirum dispositione undique legitima eorumdem bonorum, *ius de quo agitur illi competere cuius favore facta est dispositio.*

« IV. An sit supplicandum Sanctissimo ut privativam iurisdictionem cognoscendi et definiendi quaestiones super praemissis ortas » (nempe circa haeredes Regularium extra claustra decedentium) « et quas oriri contigerit, inter Superiores Regularium Ordinum et R. Camerae Spoliorum administratores circa interpretationem et explicationem Constitutionis Gregorii XIII diei 21 Ia-

nuarii 1577, quae incipit *Nostri Officii*, alicui ex S. Congregationibus tribuere dignetur.

Resp. *Affirmative;* mandans ut quaestiones, prout in IV Dubio, cognoscantur et definiantur *a S. Congregatione Episcoporum et Regularium*, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis de Spoliis, et signanter Gregorii XIII diei 21 Ianuarii 1577, *Officii Nostri* etc.[1] ».

Praeterea eadem S. C. die 6 Iunii 1836 sequentes quaestiones ab administratoribus R. Camerae Spoliorum propositas ita definivit:

« 1° An *pensiones* quae a publico aerario solvuntur Regularibus extra claustra degentibus, habendae sint tamquam pensiones *ecclesiasticae*, ita ut natura sua *spolio* subiaceant.

Resp. *Negative.*

« 2° Et quatenus *negative*, cui competat post illorum mortem ius percipiendi ratas non solutas dictarum pensionum, si Regulares professi indultum obtinuerint manendi extra claustra ad tempus, sive in perpetuum.

Resp. Si indultum *temporaneum* fuerit, spectare *ad propriam defuncti Religionem;* si *perpetuum*, *ad R. C. Spoliorum*, secundum Constitutionem Gregorii XIII *Officii Nostri.*

« 3° Cui competat idem ius, si huiusmodi Regulares professi indultum testandi et disponendi obtinuerint.

Resp. Ius de quo agitur *ad eum pertinere cuius favore facta est dispositio,* si Regularis Apostolico indulto disponendi legitime usus sit: quatenus eodem indulto legitime usus non fuerit, *servandam esse resolutionem datam in secundo.*

[1] *Collectan.* ed. I, pag. 55; II, pag. 52 seq.

« 4° Cui competat praefatum ius, si agatur de Regularibus qui vota *simplicia* tantum emiserunt.

Resp. Non spectare neque ad Religionem, neque ad R. Cameram Spoliorum, sed *ad suos haeredes,* sive ab intestato sive ex testamento venientes [1] ».

[1] *Collectan.,* ed. I, pag. 76; II, pag. 71.

CONCLUSIO OPERIS

Summarium. — 118. Monita ad Regularium Sodalitatum prosperitatem assequendam.

118. Quae hucusque descripsimus ad disciplinam regularem referuntur; sed exterior disciplina non sufficit ad obtinendam alicuius religiosi Instituti prosperitatem; requiritur insuper *spiritus religiosus*, studium nempe evangelicae perfectionis, quod a Christo vocatur *fames ac sitis iustitiae*, idest divinae charitatis. *Littera* sola *occidit; caro*, seu mera materialis observantia, *non prodest quidquam: spiritus est qui vivificat.* Ceterum, sicut corpus organicum sine principio vivificante cito corrumpitur, ita regularis disciplina, nisi religioso spiritu informetur, nec plena erit neque stabilis. Ergo, ut Congregationes religiosae *vitam habeant et abundantius habeant,* haec potissimum media sunt adhibenda:

I. Nedum novitii sed et professi, iuniores praesertim, sedulo constanterque, sive publicis sive privatis collationibus nec non optimis libris, spiritu suae vocationis informentur.

II. Cum vero ignorantia scientiae sacrae valde officiat religiosae perfectioni, ac praeterea inhabiles reddat Religiosos sacris ministeriis rite et cum fructu obeundis, serio, nec minus quam per quadriennium, Clerici studiosi applicentur theologicis disciplinis.

III. Iugiter cogitent Superiores subditorum animas

suae curae esse commissas; adeoque, licet eorum confessiones non excipiant, fiant tamen spirituales omnium moderatores; nec exteriori tantum disciplinae, sed cuiusque in spiritu progressui invigilent, atque sedulam dent operam *ut formetur in eis Christus.*

IV. Vae Praelatis qui, seipsos quaerentes, magis curant placere subditis quam Deo; ideoque illorum abusus facilius tolerant, cupiditatibus indulgent, vitiis parcunt!

V. Si qui Superiores muneri suo impares reperiantur, absque ulla humana consideratione ab officio removeantur; qui vero aptiores inveniuntur, dummodo nec ambitiosi sint nec in se confidentes, ne facile mutentur.

VI. Magistri cum primi tum secundi Novitiatus inter optimos eligantur; optimos inquam, non pietate tantum, sed scientia cordium ac sanae asceseos, prudentia quoque et zelo, ut fortiter suaviterque novitiorum animos ad religiosam perfectionem inclinent.

VII. Instituti prosperitas non in eius materiali propagatione, nec in gloria humana et mundano splendore nec in Sodalium numero, nec in eorum ingenio, nobilitate, profana eruditione ponatur, sed in regulari disciplina, in solida scientia, in sanctitate vitae.

VIII. Firmiter propulsetur tentatio *multiplicandi gentem* cum detrimento religiosae perfectionis; melius est enim paucos esse sed optimos, quam multos vix mediocres. *Quod numero inferius, re uberius.* Hinc, ne ad habitum, et multo minus ad professionem, admittantur qui modicam spem futurae sanctitatis praebent. Ii praecipue a Clericorum coetu arceantur qui pauperes ingenio sunt, nisi abundent virtute, praesertim humilitate, et recto iudicio non careant.

IX. Nec minus fortiter resistendum tentationi nova Collegia fundandi antequam iam fundata numero et qualitate Sodalium consolidentur, et aliunde suppetant qui, virtute et necessaria scientia praediti, novas valeant efformare Communitates.

X. Capitula Generalia potius curent de regulari disciplina instauranda et de promovenda morum sanctitate, quam de minusculis negotiis; leges in desuetudinem dilapsas in vigorem revocent, aut, si necesse sit, immutent; satius enim esset quasdam leges immutare quam earum perpetuam ac generalem violationem pati.

XI. Audeant, ii ad quos spectat, recusare, et, quatenus fieri poterit, supprimere parvos Conventus, ubi nec aluntur nec ali possunt tot religiosi quot ad peragendum rite divinum cultum et regularia munia, ex cuiusque Ordinis praescripto, sunt necessarii; inde enim praecipue oritur Regularium Institutorum relaxatio, ut sapienter monebat Innocentius X in sua Constitutione *Instaurandae*.

Haec innuisse sufficiat. Ceterum pro nostrae Congregationis prosperitate optamus ut nostrum nullus ignoret aureas regulas a S. Fundatore descriptas; et praesertim quae respiciunt signa relaxationis, necessitatem reformationis statim ac relaxatio appareat, ac rigorem exercendum in iis dimittendis qui spiritu ferventes non sint.

INDEX RERUM

(Grandior numerus designat paragraphum, subtilior paginam).

A

Abbates proprium territorium habentes quibus iuribus gaudeant, **80**, 213 (v. *Praelati*).

Abbatissa vi privilegiorum sui Ordinis uti potest dispensatione cum suis Monialibus, **77**, 198 (v. *Moniales*).

Abdicatio quoad dignitates et officia, **105**, 281 (v. *Officia*).

Abortus procuratus (v. *Reservatio*).

Acceptatio votorum (v. *Vota*).

Acclamatio in electionibus vetita, **105**, 280 (v. *Electio*).

Acquisitio bonorum temporalium cui proficiat in statu religioso, **49**, 111 (v. *Paupertas*, *Vota* etc.).

Acta conficienda pro recipiendis (v. *Receptio*).

Acta a nostris conficienda pro Capitulo generali, **108**, 305 (v. *Capitulum Generale*).

Actiones fructiferae (v. *Tituli, Reditus, Bona*).

Administratio spiritualis sodalitatum regularium (v. *Regimen*).

Administratio Sacramentorum (v. *Privilegia*).

Administratio bonorum temporalium cedenda ante professionem votorum simplicium, **48**, 109 (v. *Vota simplicia*); – obligatio reddendi Ordinario rationes administrationis bonorum Sanctimonialium, **99**, 261; – administratio rei familiaris apud nostros cum rationibus reddendis Capitulo Generali etc., **118**, 305 (v. *Procurator*, *Capitulum* etc.).

Administratoris officium (v. *Curator*, *Procurator*).

Admissio ad habitum, seu receptio Sodalium, **24**, 55 in nota; **31**, 69 (v. *Receptio, Vestitio* etc.).

Advocati officium in quibus iudiciis permissum regularibus., **76**, 194 in nota.

Aes alienum quoad recipiendos in religionem (v. *Receptionis impedimenta*).

Aetas recipiendorum (v. *Receptio*).

Aetas quoad Praelatos et quosdam Officiales, **105**, 278.

Affiliatio Congregationum mulierum a Sodalitiis virorum, **79**, 206.

Alearum ludi prohibiti, **76**, 191.

Alienationes bonorum immobilium, **109**, 306; - mobilium, 311 (v. *Bona*).

Altare privilegiatum, unum designari potest pro Ecclesiis nostris a Praeposito Generali, **101**, 264; - quoad suffragia defunctorum nostrorum, 265.

Ambitus crimen quoad dignitates, **105**, 282.

Americae Monasteria (v. *Vota*).

Anachoretae, qui, **8**, 30.

Apostasia (v. *Reservatio*).

Apostatae, qui, **114**, 328; - ad quid teneantur, 329, **115**, 332 (v. *Eiecti*).

Appellatio contra sententiam expulsionis, **57**, 130; - quando liceat contra Superiores, **102**, 273.

Approbatio S. Sedis ad religiosam familiam rite constituendam, **1**, 12; - quoad regulam vel Constitutiones Ordinis alicuius **5**, 20; - an Episcoporum sufficiat vel requiratur, 21; - pro privilegio exemptionis, ibid.; - quoad Confessarios, **78**, 201 (v. *Episcoporum iura, Exemptio; Fundationes, Sacramenta*).

Armorum gestatio prohibita, **76**, 190.

Artefactorum venditio (v. *Negotiatio, Paupertas*).

Artes, quaenam Regularibus prohibitae, **76**, 193.

Ascetae, Asceteria, **8**, 30.

Assistentes Generales, apud nos, qui, **106**, 286; - eorum officium, electio, numerus, tempus in dignitatibus explendum, 287.

B

Baptismatis suscepti testimonium pro recipiendis (v. *Receptionis acta*); - quoad susceptoris munus implendum (v. *Regulares, Patrini*).

Barnabitae, **9**, 32 (v. *Congregatio nostra, Clerici Reg.* etc).

Belgii Monasteria (v. *Vota*).

Benedictiones variae quae Episcopis et Parochis reservantur, **86**, 224 (v. *Privilegia*).

Beneficia curata, an suscipi possint a Regularibus, **79**, 203; **100**, 261; - vi dispersis, **113**, 325.

Blasphemia iudicialiter excutienda, **103**, 275 (v. *Processus*).

Bibliotheca quoad alienationem (v. *Mobilia praetiosa*).

Bibliothecarius in Collegiis nostris (v. *Praefectus Bibl., Officia Collegior.*).

Bigamia quoad dispensationem pro recipiendis, **92**, 242.

Bona Regularium, quo sensu accipiantur in iure, **109**, 306. (v. *Administratio, Acquisitio, Possessio, Paupertas, Renunciatio, Vota simplicia, Vota solemnia* etc.).

C

Camera Apostolica, quoad *Spolia* Regularium decedentium extra religionem, **117**, 339.

Campanae, quando earum pulsatio vetita regularibus, **85**, 224.

Cancellarius localis apud nos, **106**, 293; - Praep. Provincialis (v. *Provincialis*); - Capituli Gen. (v. *Capitulum Gen.*).

Canones circa votum paupertatis, **63**, 144.

Canones poenitentiales in Constitutionibus nostris, **102**, 273.

Capitulum Generale Congregationis nostrae, **106**, 283; - eius tempus, iura, ordinarium et extraordinarium, 285.

Capitulum Provinciale a nostris quando habendum, **106**, 290; **108**, 300; - Si fiat per litteras, 291, 303.

Capitulum locale nostrum quoad electiones, **107**, 294; - quoad de

liberationes, 297; - quoad acta praemittenda Capitulo Generali, **108**, 300, 302; - quoad recipiendos, professuros et dimittendos (v. *Receptio*, *Professio*, *Dimissio*, *Regimen* etc.).

Caput-ordinis, quoad exemptionem, **79**, 205 (v. *Exemptio, Episcoporum iura*).

Cardinalatus quoad Regulares, **100**, 261. (v. *Dignitates*, *Regulares* etc.).

Carthusiani Monachi: quomodo transitus ad illos nostris permittatur, **101**, 263 (v. *Transitus*).

Castitas (ut votum religionis); eius violatio duplex peccatum, **69**, 161; - eius votum sive simplex sive solemne impedit matrimonium, 162; - eius perfectio, 163; - ad illam tuendam ordinatur Clausura, **70**, 163 (v. *Clausura, Vota*).

Casus conscientiae seu Collatio de Theologia morali, quoad interventum Regularium, **98**, 258 (v. *Collationes*).

Casus papales, aut episcopales, aut Superiorum regularium (v. *Reservatio*).

Causae spectantes ad S. Officium (v. *Haeresis*).

Censurae quoad absolutionem, **91**, 238; - quae a Superioribus regularibus inferri possint, **102**, 272.

Census (v. *Bona, Administratio* etc.).

Choreae: iis Regulares interesse prohibentur, **76**, 191.

Chorus, eius obligatio, **74**, 183; - quoad professos votorum simplicium et Moniales, 184; - ad quos etiam extendatur, 185; - quid ab eo excuset; modus et ordo recitationis officii divini, 186 (v. *Officium div.*).

Circumscriptio nova Provinciarum regular., quo iure fieri possit, **15**, 44 (v. *Fundatio*).

Clausura regularis, quid et quotuplex; **70**, 163; - quantum pateat, 164; - quoad Sanctimoniales; 165; - quoad viros regulares solemnium votorum, 168; - eius violationis culpa et poenae, 169; - quid de Ephebaeis circa Clausuram, 170.

Clemens VIII (v. *Decreta*).

Clerici Regulares, an eorum Congregationes sint Religiones for-

males, **1**, 13; **2**, 14; **9**, 31; - eorum habitus et forma, 32 (v. *Habitus*, *Congregationes*).

Clerici saeculares, an indigeant licentia Episcopi ad religiosum habitum induendum, **26**, 60.

Coenobitae qui, **8**, 30 (v. *Ordines reg.*).

Coercitio delinquentium (v. *Poenae*, *Canones* etc.).

Collationes morales (v. *Casus conscientiae*).

Collationes spirituales apud nos, **108**, 305; - quantum proficiant ad regularem disciplinam, **118**, 343.

Collegia fundanda (v. *Fundatio*, *Novitiatus*); - maiora et minora apud nos, quoad Sociorum electionem, **108**, 301 (v. *Capitulum Gen.*, *Socii*).

Commercium (v. *Negotiatio*).

Communio paschalis (v. *Sacramenta*, *Parochi*).

Commutatio votorum (v. *Vota privata*).

Compromissum in electionibus vetitum, **105**, 280.

Concionatores regulares quoad iura Episcoporum, **96**, 252.

Confessarii Novitiorum (v. *Novitiatus*); - eorum privilegia quoad Moniales, **88**, 227; - pro Collegiis nostris, **106**, 292; - pro Regularibus vi dispersis, **113**, 328.

Confirmatio, sacramentum, eius testimonium pro recipiendis ad habitum (v. *Receptionis acta*); - susceptoris munus, seu *Patrinus* quoad Regulares (v. *Patrini*).

Confraternitas quo iure erigenda; **83**, 219. - B. M. V. a Providentia apud nos; 220, **101**, 265; - B. M. V. pro Scholarum nostrarum Alumnis, ibid. (v. *Sodalitas*).

Confratres an gaudeant privilegiis Ordinis cui adscribuntur, **77**, 198; - quoad exemptionem, **79**, 206 (v. *Episcopor. iura*).

Congregatio nostra, eius origo, forma, Fundatores, **12**, 36; - Constitutiones, nomen, Patronus, finis, munia, 37; - curae prohibitae, specialis indoles, 39; - privilegia, **101**, 262; - regimen seu administratio, **106**, 283.

Congregationes saeculares quoad Statum religiosum quae, **1**, 12, 13; **9**, 31 in nota; - vota, si quae emittunt, privata censentur, ibid.

Congregationes regulares votorum simplicium quoad privilegia a iure aliis concessa, **77**, 198.

Congregationes Clericorum Regularium, **1**, 13; **2**, 14; **9**, 31. - Canonicorum regularium, **2**, 14; **9**, 31, 32.

Coniugati quando recipi possint ad habitum (v. *Receptio*); - quoad usum Matrimonii (v. *Matrimonium*).

Conscientiae manifestatio a Superioribus laicis et a Sanctimonialibus requisita vetatur, **101**, 269.

Conservatorium (v. *Moniales*).

Constitutiones, quomodo differant a Regula, **3**, 15; - earum mutatio, abrogatio, dispensatio, declaratio, quo iure fieri possit, 16 (v. *Regula*).

Constitutiones Apostolicae (v. *Decreta*).

Consuetudo habens vim legis vel regulae, **73**, 181 (v. *Obedientia*); - si legitima, valet ut argumentum ad privilegium evincendum, **78**, 202 (v. *Exemptio, Privilegium*).

Consultor S. Congr. Rituum habetur ex iure in Congregatione nostra, **101**, 264.

Consultores Provinciales apud nos, ordinarii et extraordinarii; eorum electio, **106**, 289; - eorum partes in Capitulo provinciae, **108**, 304; - in receptione et dimissione Novitiorum, **31**, 72; **55**, 125.

Consultoris urbani officium an Clericis permittatur, **76**, 194.

Contemptus regulae (v. *Peccatum*); - legis aut Superioris quid importet, **72**, 178 (v. *Obedientia*).

Contractus, relate ad votum paupertatis, **61**, 139; - quando validus aut nullus, **109**, 308 (v. *Paupertas, Dominium radicale, Votum* etc.).

Conventus novi constitutio (v. *Fundatio*). - Conventus parvi, an visitationi Episcopi subsint, **80**, 206 (v. *Exemptio*).

Conversi regularium gaudent privilegiis Ordinis, **77**, 198 (v. *Privilegia*).

Crimen ambitus, quoad dignitates, in nostris graviter puniendum, **105**, 282 (v. *Electio*).

Crimina in visitatione iudiciali examinanda, **103**, 275; - quoad depositionem a dignitate regulari, **105**, 282.

Cultores et Cultrices, in Ecclesia Alexandrina, **8**, 30.
Curatoris officium quibus permittatur, **76**, 194.

D

Debitores, quoad ingressum in religionem, **28**, 63 (v. *Receptio*).
Debitum petendi impedimentum quoad dispensationem, **92**, 244.
Decimae quoad ius ad eas, **109**, 307.
Decreta quomodo differant a Constitutionibus et Regula, **3**, 16 (v. *Constitutiones*).
Decreta Clementis VIII, et Urbani VIII, De reformatione regularium et educatione Novitiorum, quosnam Regulares obligent, **35**, 82; **98**, 259; - quoad neo-professos, **51**, 114; - circa paupertatem, **63**, 145, 149. - Spectantia ad S. Officium, **108**, 302.
Decretum Urbani VIII, de celebratione Missarum, **80**, 206. - Pii IX *Regulari disciplinae*, quomodo et ubi observandum in Novitiorum admissione, **31**, 73; - et professione, **53**, 118 (v. *Receptio*, *Professio*); - eiusdem Decretum *Neminem latet*, **43**, 95 Leonis XIII *Quemadmodum*, **102**, 269.
Deliberationes Capitulares (v. *Capitulum*).
Delinquentes publice (v. *Episcoporum iura*); - privatim, quomodo coercendi, **102**, 272 (*Coercitio*).
Depositio Superiorum aut Praelatorum, quo iure facienda, **105**, 281.
Depositum accipere, quomodo contra votum paupertatis sit, **64**, 151.
Deputati publici officium an Clericis permittatur, **76**, 194.
Desuetudo (v. *Consuetudo*).
Dignitates Ecclesiasticae quae et quomodo acceptari possint a Regularibus, **100**, 261; – earum abdicatio, **105**, 282.
Dignitates apud nos, quae (v. *Officia maiora*).
Dilatio Professionis (v. *Professio*).
Dimissio professorum cum votis simplicibus, **56**, 126; - ab institutis mulierum, 128; – professorum cum votis solemnibus quid importet, **115**, 330 (v. *Eiectio*).

Discreti apud nos, eorum electio, numerus et officium: **106**, 293.

Dispensatio a votis qua auctoritate fiat, **5**, 21; – per dimissionem, **56**, 129 (v. *Vota*).

Dispensatio legitima a lege vel regula, **73**, 179 (v. *Obedientia, Ieiunium, Officium divinum* etc.).

Dispersi (regulares), quid iuris habeant quoad Sacramentorum susceptionem, **89**, 233; – ad quid teneantur, **113**, 324 (v. *Privilegia, Regulares vi dispersi*).

Dominium radicale quid importet ex iure civili, **49**, 113; – in iure canonico, **61**, 138; **63**, 150 (v. *Vota*).

Domus regularium, rite constituendae antequam multiplicentur, **118**, 346.

Dona per votum paupertatis prohibita, **64**, 153; – quae regularibus permissa, **109**, 312 (v. *Paupertas, Munera*).

Duodenarius numerus Sodalium, an necessario requiratur pro Exemptione, **80**, 206 (v. *Exemptio, Conventus parvi*).

E

Ecclesiae parochiales Regularium (v. *Exemptio, Parochi*).

Educatio Novitiorum (v. *Novitiatus*, Decreta Clem. VIII).

Egressio furtiva (v. *Apostatae, Casus reservati, Clausura*).

Eiectio Sodalis solemniter professi, quid in iure requirat, **57**, 129; – cuius auctoritate fieri possit, et cui significanda, 130; – in praesenti disciplina requiritur iudicium summarium saltem, 131; – an eiecti sint iterum recipiendi, **58**, 133; – fugitivi et apostatae cui subsint, et num etiam requirendi, **114**, 328; – in quas poenas incurrant; 329; – ad quid obligentur; **115**, 330 (v. *Apostatae, Fugitivi, Saecularizati*).

Electio Superiorum canonica quid requirat; **105**, 278; – iuxta Constitutiones nostras; 279; **107**, 294; – quid pro eligendo Praeposito Generali, ibid.; – et aliis dignitatibus; 295; – si per litteras fiat; 296; – si in Capitulo Generali; **107**, 298 – pro Sociis ad Capitulum Provinciale aut Generale mittendis; **108**, 301 et seq.

Eleemosynae quomodo Regularibus permissae, **109**, 312.

Emancipati, filii, quando censeantur; **27**, 62; - quoad vota simplicia, **48**, 109; - quoad vota solemnia, **50**, 114.

Ephebaei in domibus Regularium quoad Clausuram; **70**, 170; - quoad exemptionem; **78**, 201 (v. *Exemptio*, *Privilegia*).

Episcopatus quoad Regulares; **100**, 261; - quoad ipsos iam eodem insignitos; **110**, 315 (v. *Regulares*) - quibus iidem privilegiis fruantur; **77**, 198.

Episcoporum status (v. *Perfectio*) - an Episcopi ingredi possint religionem (v, *Receptio*) - eorum iura super regulares delinquentes, **81**, 215; - aut saecularizatos, aut eiectos, 216, 218; - quoad functiones in regularium Ecclesiis peragendis, publicationem censurarum et Indulgentiarum, nec non Festa Dioecesis, **84**, 220; - quoad aliquas benedictiones impertiendas; **86**, 224; - et approbationem Confessariorum; **88**, 227; - Concionatorum, **96**, 252; - Ordines Sacros conferendos, **97**, 255; - quoad iudicium super validitate Professionis, **99**, 260; - quoad rationes reddendas de exequutione testamentaria, ibid. - et administrationem Monasteriorum, **109**, 313; - super religiosis dispersis, **113**, 325; - denique super saecularizatis, **116**, 336 (v. *Exemptio*).

Epistolae, earum aperitio (v. *Litterarum*).

Erectio novi Collegii vel Domus regularis (v. *Fundatio*); - Provinciae (v. *Circumscriptio*).

Eremitae qui, **8**, 30 (v. *Ordines religiosi*).

Essentia Status religiosi in quo consistat, **1**, 12, 14.

Eucharistiae Sacramentum in quibus Oratoriis Reg. asservari possit, **94**, 250; - ubi et quando publice possit exponi, **85**, 222 (v. *Sacramenta*, *Privilegia*).

Examinatores Provinciales et Generales quoad Novitiorum vestitionem et professionem (v. *Receptio*, *Professio*); - quando et quomodo eligendi, **31**, 73, 74; - in Capitulo Provinciali, **106**, 296; - in Capitulo Generali, **108**, 303; - eorum officium, **31**, 69; **53**, 119.

Examinatoris Episcopalis munus quoad Regulares, **100**, 261.

Excommunicatio, quoad potestatem Superiorum regularium, **102**, 273 (v. *Potestas*); - a quibus et quando infligenda, ibid.

Exemptio regularium, **78**, 200; - quid importet, ad quos referatur, quoad Sacramenta, immunitatem a censuris et sepulturam, 201; - quoad Monasteria mulierum, 202; - an eius privilegium possit abdicari, et possit per consuetudinem evinci, ibid.: - Pro regularibus nullius Dioecesis ea est *absoluta*, ibid. - *Limites* exemptionis quoad eos qui curam gerunt animarum, ibid.; - quoad Ecclesias curatas, Confraternitates et Sanctimoniales, **79**, 202; - quoad Ecclesias saeculares Parocho regulari concreditas, 203; - et Ecclesias regulares plenissimo iure Monasterio minime unitas, nec residentiae *Capitis-Ordinis* alicuius destinatas, 204; - quoad parvos Conventus, **80**, 206; - Regulares delinquentes, **81**, 215; - vel suspectos de haeresi, **82**, 218; - quoad sacras functiones, **84**, 220; - et processiones, **85**, 222, 223 (v. *Regulares, Privilegia* etc.).

Expositio (v. *Eucharistiae Sacramentum*).

Expulsio (v. *Eiectio*).

Extrema unctio, quoad ministrum, **93**, 248 (v. *Sacramentorum administratio*).

F

Falsificatio sigilli (v. *Reservatio*).

Famuli Monasteriorum vel Collegiorum Regularium, quibus privilegiis gaudeant, **77**, 199.

Fidei-iussio quomodo prohibita, **64**, 151.

Formae variae Status religiosi, **9**, 30.

Fugitivi (v. *Apostatae*).

Fundatio novi Ordinis, seu novae Sodalitatis Regularium, cuius auctoritate indigeat, **13**, 41; - novi Monasterii Conventus, Collegii, **14**, 42; **16**, 45; - aut Domus Novitiatus, **14**, 43; - nova Provinciae erectio vel circumscriptio, **15**, 44. - Pro domus priscae reassumptione quaenam facultas requiratur, **18**, 46; - item ad novum scopum praestituendum domui praeexistenti, 47. -

Quid de oppositione aliorum Regularium contra erectionem novi Collegii, **19**, 48; - an Parochus vel incolae eam impedire possint, **20**, 49; - an pro canonica erectione certus Sodalium numerus requiratur, **21**, 51.

Funera quoad Regularium privilegia, **95**, 250 (v. *Sepultura, Privilegia*).

G

Galliae Monasteria (v. *Vota*).

Generalis (v. *Praepositus*).

Gradus academici quoad Regulares, **100**, 261.

Grangiae, seu Vicariae parochiales, relate ad Vicarii amovibilitatem, **79**, 204 in nota; - relate ad Visitationem Episcoporum, **80**, 212 (v. *Exemptio, Conventus parvi*).

H

Habitus regularis, **9**, 52; - ad eum admissio (v. *Receptio, Vestitio, Novitiatus*); - illius gestandi obligatio, **75**, 188; - cum tonsura pro Clericis, 190.

Haereditas regularium, decedentium extra religionem suam, cui competat, **117**, 339 (v. *Dispersi, Saecularizati* etc.).

Haereditatis iure ob ingratitudinem amisso, solemniter professus iterum potitur, **50**, 114; - eodem iure uti permittitur ex indulto S. Poenitentiariae, **61**, 141.

Haeresis suspicio, iudicialiter examinanda, **103**, 275 (v. *Episcoporum iura*).

Haeretici an possint esse veri religiosi, **2**, 14; - an recipi valeant qui tales fuerunt (v. *Receptio, Impedimenta*).

Hebdomada Sancta (v. *Exemptio quoad functiones sacras*).

Homicidium quoad dispensationem super irregularitate, **92**, 242 (v. *Reservatio*).

Hospitia Regularium, quid iuris habeant, **80**, 211 (v. *Oratorium*).

Hypothecae speciales, quomodo permissae, **109**, 307; - earum radiatio, 308.

I

Illegitimi an possint recipi ad habitum regularem (v. *Receptio, Impedimenta*).

Imagines insolitae non exponendae in Ecclesiis, **85**, 224.

Immobilia quoad alienationes, **109**, 307.

Immunitas a censuris quoad exemptionem, **78**, 201 (*Exemptio*).

Impedimenta irritantia quoad professionem **44**, 98 : - quoad receptionem (v. *Receptio*).

Impotentia quoad obligationem legis vel Regulae, **73**, 180 (v. *Obedientia*).

Incantationes (v. *Reservatio*).

Incestus quoad usum matrimonii, **92**, 244.

Incompatibilitas quoad Officia regularium (v. *Electio*).

Incorrigibiles expellendi, **57**, 129; - quomodo coercendi, **102**, 272 (v. *Eiectio*).

Indulgentia plenaria pro solemniter profitentibus, **50**, 113; - indulgentiae specialiter nobis concessae, **101**, 263; - indulgentiarum publicatio quo iure facienda, **84**, 221.

Indulgentia in regimine quando nimia, **60**, 136.

Infamia quando impediat ingressum in religionem, **29**, **67**; - ipsa deletur per professionem solemnem, **50**, 114.

Infirmi, an recipi possint ad habitum rel. (v. *Receptio*) - quoad commutationem vel dispensationem in Divino Officio, **92**, 242; **101**, 263.

Inhabilitas ad dignitates (v. *Electio*).

Inspirutio in electionibus, an iure admissa (v. *Electio*).

Institutio Praelatorum (v. *Electio*) ; - pia (v. *Congregationes*).

Intentio recta, eius defectus quoad ingressum in religionem (v. *Receptio*).

Interdictum, **91**, 241 (v. *Censurae, Privilegium*).

Irregularitas ex natalium defectu aufertur per solemnem professionem, **50**, 113 (v. *Illegitimi*); - occulta quoad dispensationem, **99**, 242; - quoad dignitates consequendas (v. *Electio*).

Irritatio votorum quando fiat, **92**, 243.

Itinerantes quoad Confessarium, **89**, 233.

Iudex, eius partes quando Clericis permissae, **76**, 194; - quando assumendae, **103**, 275.

Iudicium ad eiiciendos incorrigibiles, **57**, 131 (v. *Eiectio*, *Processus*); - quomodo instituendum super validitate professionis (v. *Professio*).

Iura quoad bona temporalia (v. *Bona*); - quoad *Spolia* saecularizatorum, **117**, 339 (v. *Spolia*).

Iuramentum falsum in iudicio (v. *Reservatio*); - promissorium acceptatum, **92**, 243.

Iurisdictio spiritualis Episcoporum quoad Regularium exemptionem, **78**, 200 (v. *Exemptio*, *Potestas*, *Episcopi*); - Superiorum Regularium (v. *Regimen*, *Potestas*).

Ius Procuratorium quid sit, **80**, 213.

L

Laici, an possint esse veri religiosi, **2**, 14.

Lapsus carnis consummatus (v. *Reservatio*).

Largitio munerum prohibita, **67**, 159; **68**, 160; **109**, 312.

Lateranenses Canonici, **9**, 32; - eorum privilegia nobis concessa, **101**, 262 (v. *Congregationes clericorum regularium*).

Laureae monachorum, **8**, 30.

Laus alicuius Instituti data ab Apostolica Sede, quid importet, **1**, 12 in nota; **5**, 21.

Lectio S. Scripturae quando et quomodo Regularibus praecepta, **98**, 258.

Lectoris publici munus an Regularibus permissum, **100**, 261.

Legata pia a nostris acceptanda approbante Capitulo Generali, **108**, 305; - si relicta a Saecularizatis quomodo implenda, **117**, 340 (v. *Saecularizati*).

Leges servandae potius quam a Superioribus multiplicandae, **118**, 344.

Librorum et similium venditio an liceat (v. *Negotiatio*); - eorum editio quibus legibus subiaceat, **98**, 258.

Licentiae quae legitimae habeantur quoad votum paupertatis, **62**, 142; - *expressae, tacitae, praesumptae, interpretativae*, **63**, 144; - *illegitimae*, 145, 148, 149; **64**, 152.

Litterarum aperitio, retardatio etc. (v. *Reservatio*).

Livellum, an sit paupertatis voto contrarium, **65**, 154.

Locatio bonorum Regular. quomodo permissa, **109**, 306, 308.

M

Magister Novitiorum, conficiat examen pro admittendis ad professionem, **53**, 119; - quantum eius officium conferat ad prosperitatem Ordinis, **118**, 344 (v. *Novitiatus*).

Magister secundi Novitiatus qui, **36**, 87; - pro nostris a quo eligendus, **106**, 291 (v. *Novitii*).

Matrimonium quoad professionem votorum simplicium, vel solemnium (v. *Vota*); - quoad ingressum in religionem (v. *Receptio*); - subsequens professionem solemnem dirimitur, praecedens, non consummatum, irritatur, **50**, 114; - quoad votum castitatis, **69**, 161; - quoad usum, **92**, 244.

Medicamenta, an regularibus liceat ea conficere et vendere, **76**, 193.

Medicinam exercere quomodo et quibus prohibeatur, **76**, 193.

Mendicantium Ordines, qui, **9**, 31; - eorum habitus et forma, 33 (v. *Ordines* regulares).

Mercatura (v. *Negotiatio*).

Militaria insignia persequi, an Clericis et Religiosis liceat, **76**, 194.

Minores aetate an recipi possint ad habitum (v. *Receptio*).

Missa, quoad facultatem celebrandi, **94**, 249; - quoad praeceptum eam audiendi, ibid; - eius celebrationis horae anticipatio pro Regularibus, ibid; - quoad testimonium de oneribus satisfactis, **108**, 304.

Mitigatio regulae quid (v. *Regula Reformatio*): apud nos non obtinuit, **104**, 278.

Mobilia praetiosa quoad alienationem, **109**, 309 (v. *Bona*).

Monachorum origo, **8**, 30; - habitus et forma, **9**, 33 (v. *Ordines* regulares).

Monasteria Visitationis in Sabaudia (v. *Vota*).

Moniales quoad Clausuram **70**, 166; - quoad Chorum, **74**, 184; - quoad privilegia Ordinis a quo reguntur, **77**, 198; - quoad exemptionem a visitatione Episcopi, **79**, 206; - quoad Confessarium, **89**, 234; **90**, 235; **102**, 269; - quoad Concionatores, **96**, 254; - quoad Communionem euchar., **102**, 270; - quoad conscientiam superioribus aperiendam; ibid.; - quoad administrationem rei familiaris, **109**, 313.

Monita ad prosperitatem regularis disciplinae, **118**, 343.

Monitio trina, iuridica iudicio eiectionis praemittenda, **57**, 130 (v. *Eiectio, Processus*).

Munerum seu Officiorum apud regulares incompatibilitas, **105**, 280 (v. *Officia*); - quoad dona (v. *Largitio*).

N

Nationalitas quoad Officiales Maiores quando exigatur, **106**, 287.

Natura status religiosi, **1**, 11.

Necessitas iuris et facti quoad alienationes, **109**, 309.

Negotiatio prohibita regularibus, quae, **76**, 191; - quoad titulos fructiferos, ibid. (v. *Tituli*).

Notarii munus, quando et ubi Clericis permissum, **76**, 194.

Novennium non excedendum in officiis maioribus apud nos, **106**, 287.

Novitiatus, domus erigenda (v. *Fundatio*) - tyrocinium quid sit et quando incipiat, **32**, 77; - quandiu extendatur, et an possit suspendi, **33**, 78; - aut prorogari, **34**, 81; - eius locus, **35**, 82; - an Decreta Clementis VIII omnes Regulares aeque obligent pro novitiorum educatione, 84-86; - de Magistro et Socio, **36**, 86; - de habitu Novitiorum, **37**, 87; - de aliis legibus servandis, **38**, 88; - de Confessario praestituendo, **39**, 89.

Novitiatus secundus, pro-neo professis, ubi et quomodo constituendus, **51**, 115 (v. *Magister*).

Novitiorum habitus, **36**, 87; - obligationes **38**, 88 (v. *Receptio, Vestitio, Professio*); - exitus aut dimissio eorum quando liceat, **40**, 90; - an ad reditum obligentur, **41**, 91; - eorundem educatio, **42**, 92; - disciplina post professionem, **51**, 114; - quibus gaudeant privilegiis, **77** 198 (v. *Novitiatus Secundus*); - quantum eorum recta institutio ad Ordinis prosperitatem conferat, **118**, 343.

Nullitas professionis quando et quomodo examinanda et iudicanda, **99**, 260 (v. *Professio*).

Numerus certus religiosorum ubi et quomodo requisitus, **21**, 51; - relate ad exemptionem a visitatione Episcopali, **80**, 206, 209 (v. *Fundatio, Exemptio*).

Numerus Sodalium minus ad Sodalitatis prosperitatem proficit quam delectus, **118**, 344.

O

Obedientia, votum religionis, **6**, 24; - et virtus, **71**, 171; - ad quid obliget, 172; - et quando sub gravi vel levi, 174; - quid ad essentiam voti, quid ad perfectionem spectet, ibid; - quando suadeat vel iubeat, 175; - circa obligationem servandi regulam 176; - causae excusantes, **73**, 179.

Oblati nostri quo sensu religiosi dici possunt, **6**, 22; - eorum professio ad triennium, **52**, 117.

Obligationes regularium speciales (v. *Chorus, Officium divinum, Habitus*); - generales abstinendi se a prohibitis per Sacros Canones, **74**, 183 (v. *Ludus, Arma, Venatio, Choreae, Negotiatio, Artes* et *Officia saecularia* etc.).

Obligationes foenerariae seu fructiferae (v. *Tituli*).

Observantia regularis, **72**, 176 (v. *Obedientia*).

Occisio (v. *Homicidium*).

Officia, saecularia, quaenam regularibus vetita, **76**, 193; - incompatibilia quoad disciplinam domesticam, **105**, 280; - eorum

abdicatio, 282; - electio ad illa et durationis tempus, **106**, 287 (v. *singulorum officiorum nomina*).

Officiales apud nos maiores; eorum electio **107**, 294; - si per litteras fiat, 297; - minores qui et quomodo eligendi, **106**, 293.

Officium divinum (seu Horae canonicae) eius recitandi obligatio, **74**, 183; - modus et ordo, 186; - in privata recitatione, 187; - dispensationis causae, **92**, 242; **101**, 263 (v. *Chorus*).

Oratorium publicum hospitio regularium adnexum; quoad visitationem Episcopalem, **80**, 211; - privatum ex privilegio, **94**, 250; - quoad satisfactionem praecepti Sacrum audiendi (v. *Missa*).

Ordines religiosi; Eremitarum, seu Solitariorum **3**, 15; - vitae contemplativae aut activae, **9**, 31; - mixtae, **10**, 34; - possidentes, **67**, 159; - quoad novi Ordinis institutionem, **13**, 41 (v. *Fundatio*).

Ordines sacri, quoad facultatem et acta pro eorum susceptione, **54**, 121 in nota, **96**, 255.

Ordo Sacer quoad institutionem Praelatorum (v. *Electio*).

Ordo divini Officii (v. *Officium divinum*).

Origo Status religiosi, 8, 29 et seqq.

P

Paramenta Sacra (v. *Benedictiones*, *Privilegia*).

Parochia regularium, eius unio cum monasteriis, quotuplex, **79**, 203.

Parochus saecularis, quoad ingressum in religionem, **26**, 60; - eius iura quoad Benedictiones, **86**, 225; - et Sacramentorum administrationem, **93**, 247; - et funera, **95**, 251 (v. *Exemptio*).

Parochus regularis, quoad officiorum incompatibilitatem apud nos, **105**, 280; - quoad amovibilitatem et exemptionem, **79**, 203, 204.

Parvi Conventus (v. *Exemptio*, *Conventus*).

Passionistae, quoad votum paupertatis, **61**, 139; - quoad privilegium exemptionis, **77**, 198.

Patria quoad officia regularium (V. *Nationalitas*).

Patria potestas cessat quoad filium professum, **50**, 114 (v. *Emancipati*).

Patrini munus quoad Regulares, **89**, 231 (v. *Regulares*).

Paupertas, Votum religionis, ad quid obliget, quid permittat, **61**, 137; - ut votum simplex, 138; - quoad religiones formales ob votum solemne, 139; - etiam in perpetuo saecularizatis, 140; - quas licentias admittat legitimas, **62**, 142; - proprietatem excludit omnino, ibid. - Canones circa illud, **63**, 144; - poenae, 145, 149; - decisiones Sacr. Congregationis, 148; - casus frequentiores in quibus laeditur, **64**, 150; - livellum et peculium quomodo permittat, **65**, 154; - Paupertas ut virtus, quantum pateat, **66**, 158; - prout respicit Communitatem seu regulas Ordinis, **67**, 159 (v. *Vita communis*); - munerum largitione laeditur, **68**, 160.

Peccatum religiosorum, eius gravitas relativa, **4**, 18; - ratione status perfectioris, **59**, 135 (v. *Perfectio*, *Paupertas*).

Peculium, eius usus in religione, quomodo laedat votum paupertatis, **65**, 155 (v. *Paupertas*, *Vita communis*).

Pensiones quoad religiosos vi dispersos, **113**, 325; - a saecularizatis relictae, **117**, 341 (v. *Spolia*).

Percussio gravis (v. *Reservatio*).

Perfectio status religiosi quid sit, **4**, 17; - an alia sit ab evangelica, episcopali, sacerdotali, 19; - considerata comparative ad vitam contemplativam, activam et mixtam, **10**, 34; - quomodo assequenda, tuenda vel restauranda in Religiosis Sodalitiis, **118**, 343; - ad quid obliget religiosos, **59**, 135; - Superiores, **60**, 136.

Perfectior religio quaenam habenda, **11**, 35.

Permutatio (v. *Alienatio*).

Pharmaca (v. *Medicamenta*).

Piae Institutiones (v. *Congregationes*, *Confraternitates*).

Poenae apud nos infligendae, **102**, 273; - quoad *recursum*, vel *ius appellationis*, iuxta Canones (v. *Appellatio*, *Canones poenitentiales*, *Coercitio*, etc.); - earum inflictio Superioribus permissa, **102**, 270; - ex informata conscientia, ibid.; - apud nos contra *Crimen ambitus*, **105**, 282.

Poenitentiae Sacramentum, quoad susceptionem et administrationem (v. *Confessarius*, *Privilegia*, *Exemptio*).

Poenitentiaria Apostolica, eius indulta circa iura civilia et votum paupertatis; **61**, 141 (v. *Paupertas*).

Possessio, quoad capacitatem religiosorum iuridicam, **109**, 312 (v. *Bona*).

Postulantes (v. *Receptio*).

Potestas Superiorum **102**, 267; - quoad subditorum conscientiae manifestationem et Sacramentorum frequentiam et iudiciaria quoad coercitiones, **102**, 269; - quoad crimina, **103**, 274; - quoad praecepta et regulam primitivam, **104**, 276; - potestas Abbatissarum, **102**, 269.

Praeceptum, relate ad votum obedientiae, **71**, 171; - quomodo esse possit contra, supra aut praeter Regulam, 173, **73**, 180; - qua ratione et de quibus faciendum, **104**, 277.

Praedicatio (v. *Concionatores*).

Praefectura urbis alicuius, generatim Clericis prohibita, **76**, 194.

Praefectus Sacrarii, Valetudinarii, Bibliothecae, Hospitii etc. apud nos, eorum electio et officium, **106**, 293.

Praelati regulares, quid possint iure exemptionis, **78**, 200; - quoad inhabilitatem ad dignitates assequendas, **105**, 278 (v. *Superiores*, *Potestas*, *Exemptio*, *Abbates* etc.).

Praemonstratenses Canonici, quoad curam parochialem in Ecclesiis etiam saecularibus, **79**, 203.

Praepositus Generalis apud nos: eius privilegia, **101**, 264; – eius munera, electio, **106**, 284; **107**, 294 (v. *Capitulum Generale*).

Praepositus Provincialis, apud nos: eius electio, **106**, 289.

Praepositus localis, apud nos: eius electio et officium, **106**, 291; - quoad incompatibilitatem officiorum, **105**, 280.

Praescriptio, quoad mitigationem Regulae, **73**, 180; **104**, 276.

Praeses Capituli Generalis apud nos: eius electio et partes, **107**, 298.

Presbyterorum Congregationes in quo sensu religiones dici possint, **1**, 12.

Privilegia regularium, quibus Ordinibus ex iure competant, **77**, 197; - eorum communicatio, 198; - quibus exceptis, 199; – eorum

interpretatio latissima, nec possunt abdicari, **78**, 202 (v. *Exemptio*); - quoad novitios, **42**, 93; - quoad Confraternitates, **83**, 219; - functiones sacras, **84**, 220; - Benedictiones, **86**, 224; - Administrationem Sacramentorum et susceptionem, **88**, 227; **89**, 231; **90**, 235; - quoad censuras et casuum reservationem, **91**, 238; - dispensationes et irritationes, **92**, 242; - Missae celebrationem, **94**, 249; - funera et sepulturam, **95**, 250; - Verbi Dei praedicationem, **96**, 252; - Sacras Ordinationes, **97**, 255; - Synodos dioecesanas, **98**, 257.

Privilegia praecipua Congregationis nostrae, **101**, 262.

Processiones, quoad exemptionem Clericorum Regularium, **85**, 223 (v. *Exemptio*, *Privilegia*).

Processus ad eiiciendos regulares incorrigibiles, professos votorum solemnium, **57**, 129; - cum iudicio summario, 131; - ad quid obliget saecularizatos, **116**, 332; - processus iudicialis de quibus criminibus instituendus, **103**, 275.

Procuratoris seu tutoris officium regularibus vetitum, **76**, 194.

Procuratoris Generalis apud nos electio, **106**, 286; - requisita et tempus durationis in officio, 287; - huius incompatibilitas cum aliis officiis, **105**, 280.

Procuratoris localis apud nos electio, munus, obligationes, **106**, 292; - incompatibilitas eius officii cum aliis, **105**, 280.

Professi in alia religione, an possint recipi (v. *Receptio*). - Si, professi vel non, aliquando abierint, quando et quomodo iterum recipiendi, **58**, 131; - num requirendi, ibid.; - quid perpendendum quoad non professos vel professos tantum votorum simplicium, 132; - quoad professos votorum solemnium et quoad eiectos, si iterum hi recipi petant, 133, **115**, 330 (v. *Receptio*, *Eiectio*, *Saecularizati* etc).

Professio religiosa, quid sit et quotuplex, **43**, 95; - eius validitas quid requirat, **44**, 97; - invalida quomodo reparanda vel reclamanda, **45**, 98; - quando licita, **46**, 102; - eius effectus quoad vota simplicia solemnibus praemittenda, **47**, 103; - quoad cessionem administrationis, usus, nec non proprietatis praecedentem vota solemnia, **48**, 109; - de renunciatione bonorum

solemnem professionem praecedente et consequente, **49**, 110; - eiusdem professionis effectus, **6**, 25; **50**, 113; **61**, 139. - Neoprofessorum locus et disciplina, **51**, 114; - acta a nostris praemittenda votorum simplicium professioni extra Italiam, **52**, 116; - in Italia, **53**, 118; - praemittenda professioni solemni, **54**, 120; - quando irrita sit professio, **43**, 96; - expressa, tacita, ibid.; - tacita abrogata, 97; - coacta, **44**, 98; - nulla quando et quomodo demonstranda, **45**, 99; - quo iudicio, **99**, 260; - professionis obligationes quoad saecularizatos, **115**, 330 (v. *Saecularizati*, *Vota*, *Eiectio*).

Professorium (v. *Secundus Novitiatus*).

Promotores, apud nos in Capitulis Generalibus; eorum electio et officium, **107**, 298.

Propinquorum egestas quando impediat ingressum in religionem (v. *Receptio*).

Proprietas bonorum temporalium (v. *Paupertas, Reservatio*).

Protestationes apud nos usitatae pro recipiendis et professuris (v. *Recepito, Professio*).

Provinciales nostri, quoad Visitationem Collegiorum (v. *Visitatores, Praepositi Provinciales*).

Provinciarum erectio vel circumscriptio, quo iure facienda, **18**, 44; (v. *Fundatio, Circumscriptio*).

Q

Quadragesimae ieiunium, quoad dispensationem (v. *Dispensatio*).

Quaestoris officium Clericis prohibitum, **76**, 194.

R

Receptio alumnorum, seu novitiorum, **22**, 53; - eius *impedimenta:* haeresis, Schisma, natalium defectus **23**, 54; - aetatis defectus, **24**, 54; - infirmitas gravis, **25**, 55; - defectus libertatis, **26**, 57; - propinquorum necessitas **27**, 61; - Aes alienum et debitum rationis reddendae, **28**, 63; - infamia, **29**, 67; - defectus rectae

intentionis, **30**, 67; - *Acta* perficienda: Episcoporum litterae testimoniales, **31**, 69; - Scrutinium examinatorum provincialium ubi viget Decretum *Regulari disciplinae*, 73; (ratio eligendi huiusmodi Examinatores Provinciales, 73; Generales, 74). - Examen pro Monialibus recipiendis, 76.

Recipiendi iterum, quando et quomodo, **58**, 131 (v. *Professio*).

Recursus (v. *Appellatio*).

Reassumptio priscae Domus regularis (v. *Fundatio*).

Reditus necessarii ad canonicam fundationem (v. *Fundatio*); - quoad bonorum administrationem (v. *Bona*).

Redemptoris (SSmi) Congregatio, quoad votum paupertatis, **61**, 139; - quoad privilegium exemptionis, **77**, 198 (v. *Congregationes regulares*).

Reformatio alicuius Ordinis regularis quomodo procuranda, **104**, 277; **118**, 343.

Regimen Congregationis nostrae, **106**, 283,

Regula in quo differat a Constitutionibus, **3**, 15; - est medium secundarium perfectionis assequendae **4**, 18; - qua auctoritate possit immutari, **5**, 21; - eius observantia (v. *Obedientia*); - quando obliget sub peccato levi aut gravi, **72**, 177; - causae excusantes, **73**, 179; - regula *primitiva* restituenda quando et a quibus **104**, 276 (v. *Reformatio*); - *mitigata* quibus liceat, ibid.

Regulares, eorum obligationes **74**, 183; **75**, 188; - quae a sacris canonibus illis prohibeantur, **76**, 190; - eorum privilegia, **77**, 197 (v. *Religiosi*, *Ordines*, *Congregationes*, *Instituta*, *Status religiosus*); - quid de publice delinquentibus, **81**, 215; - de excommunicatis vel *extra claustra* degentibus, saecularizatis, dispersis, **81**, 216; - Apostatis et eiectis, 218; - de haeresi suspectis, **82**, 218 (v. *Eiecti*, *Saecularizati*, *Apostatae*). - Ad quid teneantur quoad sacras fnnctiones, **84**, 220; **85**, 222; - quoad munus *Patrini* et *Matrinae*, **87**, 226; - quoad Sacramentorum administrationem, **88**, 227; - susceptionem, **89**, 231; - quoad Confessiones audiendas, **90**, 235; - quoad censuras et reservata, **91**, 238; - dispensationes et irritationes, **92**, 242; - extrema Sacramenta, **93**, 247; - Missae celebrationem, **94**, 249; - Funera, **95**, 250; -

Praedicationem Verbi Dei, **96**, 252; - Sacras Ordinationes, **97**, 155; - Synodos Dioecesis, librorum impressionem, collationes morales etc. **98**, 257; - administrationem haereditatis exequendae, **99**, 260; - munia et dignitates eccles., **100**, 261 (v. *Privilegia, Episcoporum iura, Exemptio*). - De superiorum potestate, **102**, 267; - eorum Visitatione canonica, **103**, 273; - de evectis ad Episcopatum aut Cardinalatum, **110**, 315; - horum obligationes quoad vota, regulam, 316; - habitum, Sacros Ritus, 318; - etiam post renunciationem dignitatis aut depositionem, ibid. (v. *Potestas, Regimen, Praelati*). - De Regularibus ad aliam religionem transeuntibus, ad quid teneantur, **111**, 319; - degentibus *extra claustra*, **112**, 323; - vi dispersis, **113**, 324; - ad quid teneantur, quid eis liceat, 325; - de criminosis, apostatis vel eiectis, **114**, 328; - fugitivis, num requirendi, 329; - quid de horum spoliis, **117**, 339 (v. *Transitus, Dispersi, Saecularizati, Eiecti, Apostatae*).

Religio, status perfectionis, **1**, 11; - quaenam perfectior, **11**, 35 (v. *Status*).

Religiones, unde dictae, **1**, 11; - formales quae, **1**, 13; - vitae contemplativae, activae, mixtae, **9**, 31; **10**, 34; - earum privilegia, **77**, 198 (v. *Privilegia*); - quibus mediis prosperitatem assequi possint, **118**, 343.

Religiosi (v. *Religiones, Regulares*).

Reliquiae Sanctorum, recognoscendae, **85**, 224.

Renunciatio bonorum temporalium a professuris facienda, **49**, 110; **54**, 121 (v. *Professio*). - Officiorum seu dignitatum (v. *Abdicatio, Officia*).

Reservatio Ordinarii quoad exemptionem **78**, 201; - quoad facultatem absolvendi, **91**, 238; **92**, 242 (v. *Casus, Censurae*).

Romam petere sine Superiorum maiorum licentia Regularibus vetitum, **114**, 329.

S

Sacerdotes saeculares, relate ad statum religiosum (v. *Perfectio*).

Sacramenta, eorum administratio quoad exemptionem, **78**, 201; **88**, 227 (v. *Exemptio, Privilegia*).

Sacramentum (SSmum) Eucharistiae quoad administrationem, **93**, 247; - quoad venerationem etc. (v. *Eucharistia*).

Sacrilegium, quoad processum iudicialem, **103**, 275.

Saecularizati, quid eis liceat circa votum paupertatis, **61**, 140; - quoad Sacramenta, **89**, 233 (v. *Regulares*); - si redeant ad religionem dimissam, **116**, 338; - eorum spolia cui debeantur, **117**, 339.

Saecularizatio, quid sit et quotuplex, **116**, 332; - eius exequutio, 334; - conditiones ad indultum obtinendum, 335; - quid importet quoad observantiam votorum, 336; - quoad regulas et iura status religiosi, 337 (v. *Saecularizati*).

Scandalum (v. *Peccatum*).

Schismatici, an possint constituere verum Ordinem regularem; **2**, 14; - an sint recipiendi qui aliquando tales fuerunt (v. *Receptio*).

Scholastici Societatis Iesu, quoad vota, **6**, 23 (v. *Societas I.*).

Scientia rerum sacrarum apud Regulares promovenda, **118**, 343.

Scrutatores in electionibus apud nos, **106**, 286; - in deliberationibus, **107**, 297.

Scrutinium Examinatorum provincialium et Generalium pro Novitiorum receptione (v. *Receptio*); - ante Professionem (v. *Professio*); - in Capitulo Generali (v. *Scrutatores*); - in Consultationibus Generalis et Provincialis, **107**, 299-302.

Secretum, quoad crimina non iuridice revelata, **103**, 275 (v. *Processus*).

Senatoria dignitas an Clericis permissa, **76**, 194.

Sententia iudicialis quoad ius appellationis (v. *Appellatio, Processus*).

Sepultura quoad exemptionem, **78**, 201; - quoad saeculares apud regulares habitantes, **95**, 250 (v. *Exemptio, Parochus*).

Servitus ut est impedimentum religiosae professionis (v. *Receptio*).
Sigillum, eius falsificatio (v. *Reservatio, Secretum*).
Societas Iesu, eius privilegia quoad Scholasticos **6**, 32; - quoad tempus Novitiatus et habitum Novitiorum, **37**, 87; – quoad Sacras Functiones, **85**, 222.
Societas precum pro Ruthenis apud nos instituta, **83**, 220; **101**, 265.
Socii ad Capitulum Provinciale et Generale apud nos celebrandum **108**, 300 (v. *Capitulum*).
Sodalitatis regularis instituendae facultas (v *Fundatio*).
Solemnitas votorum (v. *Vota*).
Solitarii (v. *Eremitae, Ordines*).
Sortilegia, quoad processum iudicialem, **103**, 275 (v. *Reservatio*).
Spectacula regularibus prohibita, quae, **76**, 191.
Spolia regularium extra religionem suam decedentium, **117**, 339.
Status religiosus quid sit, **1**, 11; - eius essentia, 12-14; - vitae communis necessitas, **3**, 15 (v. *Religiones*); - eius perfectio, **4**, 17; - institutio et origo, **8**, 29; - forma et habitus, **9**, 30.
Subiectio immediata S. Sedi (v. *Exemptio*); - Congregationis nostrae **101**, 263 (v. *Privilegia*).
Suffragia secreta in electionibus apud nos, a quibus ferenda, **105**, 279.
Superfluum in ordine ad votum paupertatis qnid, **62**, 142.
Superiores, speciali obbligatione tenentur ad promovendam perfectionem status religiosi; **60**, 136; **73**, 180; – quando legitime praecipiant (v. *Praeceptum*); - eorum potestas multiplex **102**, 267 (v. *Potestas*); - sollicitudo adhibenda pro disciplina regulari, **118**, 343; - de eorum electione, depositione, abdicatione **105**, 278 (v. *Regimen*); - quid de coercitionibus, **102**, 272; - de sodalibus dispersis, **113**, 325.
Suppressi regulares (v. *Dispersi*); - quoad Sepulturam **95**, 251.
Synodus Dioecesana quoad privilegia exemptionis, **98**, 257.

T

Tepiditas opponitur obligationi perfectionis assequendae, **59**, 135.
Tertiarii, an gaudeant privilegiis Ordinis cui subsunt, **77**, 198.
Testamentum quoad votum paupertatis **61**, 140, 141; - an exequi possit a regulari si vocetur Exequutor testamentarius, 142; - an saecularizati illud condere possint, **117**, 339; - an professi votorum simplicium, 342.
Testimoniales litterae Episcoporum pro recipiendis (v. *Receptio*).
Theatini, Clerici Regulares, eorum privilegia nobis participata, **101**, 262.
Theologia (v. *Scientia*).
Tituli foeneratitii an prohibiti, **76**, 191; **109**, 312.
Tonsura ferenda a Clericis, **75**, 190 (v. *Habitus*).
Traditio sui in professione votorum, (v. *Vota*).
Transitus ad Carthusianos quomodo nostris permittatur **101**, 263; - ad alias religiones, sub certis conditionibus quoad alios regulares, **111**, 319; - quoad moniales, 322.
Tutela (v. *Tutoris officium*).
Tutoris officium quando permissum, **76**, 194 (v. *Patrini, Curatoris officium*).
Tyrocinium regulare, seu Novitiatus, **32**, 77.

U

Urbanus VIII (v. *Decreta*).
Usus, ususfructus cedendus ante professionem **48**, 109.

V

Validitas professionis quoad iudicium instituendum (v. *Professio*).
Venatio Clericis prohibita, quae, **76**, 190.
Venditio fructuum quando regularibus permissa, **76**, 192 (v. *Negotiatio*); - venditio et retro-venditio de quibus liceat, **109**, 308.

Veneficia (v. *Reservatio*).

Vestitio habitus regularis (v. *Novitiatus*).

Viaticum quibus infirmis a regularibus ministrandum, **93**, 248 (v. *Sacramenta, Privilegia*).

Vicarius Generalis et Capitularis apud nos (v. *Capitulum Generale, Praepositus Generalis*); – quando constituendus et eius partes, **106**, 286.

Vicarius Provincialis apud nos, eius electio, **106**, 290.

Vicarius Superioris localis apud nos, a quo eligendus, **106**, 292; – quaenam ei sint officia incompatibilia, **105**, 278; **106**, 283 (v. *Capitulum Generale*).

Visitatio Episcoporum in parvis Conventibus (v. *Exemptio, Conventus parvi, Privilegia*). – Visitatio canonica seu regularis, **103**, 273; – quando, ubi et a quibus obeunda, 274; – exigit secretum pro criminibus non iuridice revelatis, 275; – exceptiones, ibid.

Visitatores generales apud nos, quaenam sint pro ipsis officia incompatibilia, **105**, 280; – eorum electio, **106**, 286; – novennium in dignitate ab illis non excedendum, 287; – saltem ante Capitulum Generale Collegia visitent, **108**, 305.

Vita communis ad statum religiosum necessaria, **3**, 15, **10**, 34; – quoad paupertatem apud nos perfecte instaurata, **65**, 157 (v. *Paupertas*).

Vocales apud nos, qui iure suffragii in Capitulis potiuntur, **105**, 278; **106**, 283; – quoad electionem Sociorum ad Capitulum Provinciale et Generale, **108**, 301.

Vocatio divina requiritur ad profitendam religionem, **31**, 69.

Vota religionis in Instituto a S. Sede non approbato *privata* censentur, **1**, 12; – sanctimonialium olim solemnia nunc in Gallia et Belgio habentur tamquam simplicia, quibusdam Monasteriis tantum exceptis, 13, in nota; – vota sunt media essentialia ad perfectionem, **4**, 17; **59**, 135; – a quo et quomodo solvi possint, **5**, 21; – eorum necessitas, **6**, 21; – quae solemnia, quae simplicia, 22-26; – quid valeant quoad dominium, matrimonium, obedientiam et dispensationem, ibid.; – quoad traditio-

nem sui et eius acceptationem, **7**, 26 (v. *Professio*); - quoad electiones capitulares apud nos (v. *Suffragium*).

Vota simplicia solemnibus praemittenda, **47**, 103; - eorum effectus, 105, 106; - etiam apud nos pro iure suffragii, 107; - eximunt a patria potestate, 108; - requirunt cessionem administrationis, usufructus bonorum antequam emittantur, **48**, 109; - et alios actus perficiendos extra Italiam, **52**, 116; - in Italia, **53**, 118; - eorum professionis ritus apud nos, 120. - Solvuntur per dimissionem Superiorum vel dispensationem S. Sedis, **56**, 128; **92**, 246; **115**, 330. - Quid dicendum de Monialibus, ibid. 245.

Vota solemnia, quae, **43**, 95; - eorum professioni praemittenda renunciatio bonorum, **49**, 110; - eorum effectus temporales et spirituales, **50**, 113; - acta ad eorum nuncupationem perficienda, **54**, 120; - obligationes quoad saecularizatos, **115**, 335 (v. *Saecularizati*, *Eiectio*, *Paupertas*, *Obedientia*, *Castitas*).

Vota privata quoad irritationem, **92**, 243 (v. *Irritatio*); - quid notandum circa votum religionis profitendae aut castitatis servandae; et huius effectus, praesertim de eius commutatione et usu matrimonii, 244, 245. - An emittentes vota *temporaria* possint quandocumque dimitti, **56**, 128.

Vulneratio (v. *Reservatio*).

INDEX CAPITUM

Praecipuarum abbreviationum explicatio. . . . . . *pag.* 7
Lectori monitum . . . . . » 9

CAPUT I

DE STATUS RELIGIOSI NATURA.

§ 1. - Quid sit status religiosus . . . . . *pag.* 11
» 2. - An haeretici, schismatici ac simplices laici possint esse veri Religiosi . . . . . » 14
» 3. - Conditio vitae communis sub communi regula. - Distinctio Regulas inter et Constitutiones. - An et quomodo Constitutiones nostrae mutari, abrogari aut declarari possint. . . . . » 15
» 4. - In quonam consistat religiosa perfectio. - An peccatum Religiosi sit gravius vel levius peccato saecularis. - Perfectio status religiosi cum perfectione status episcopalis vel simpliciter sacerdotalis comparatur . . » 17
» 5. - Necessitas approbationis Ecclesiae. . . . . » 20
» 6. - Necessitas votorum perpetuorum. - Distinctio inter vota solemnia et simplicia. - An solemnitas votorum sit de essentia status religiosi . . . . . » 21
» 7. - Traditio sui, eiusque acceptatio . . . . . » 26

CAPUT II

DE ORIGINE AC VARIIS ACCIDENTALIBUS FORMIS STATUS RELIGIOSI.

§ 8. - Status religiosi institutio et origo . . . . . *pag.* 29
» 9. - De multiplici religiosae vitae forma, et de habitu religioso. . . . . » 30

§ 10. - Vita mixta cum contemplativa et activa comparatur . . . . . *pag.* 34
» 11. - Quaenam sit melior perfectiorque Religio . . . » 35
» 12. - De Congregationis nostrae origine, forma ac speciali indole . . . . . » 36

CAPUT III

DE NOVIS RELIGIOSIS SODALITIIS DOMIBUSQUE FUNDANDIS.

§ 13. - An liceat nova Sodalitia condere. . . . . *pag.* 41
» 14. - An ad nova Collegia fundanda requiratur licentia S. Sedis . . . . . » 42
» 15. - An eadem S. Sedis licentia requiratur pro erectione et circumscriptione Provinciarum. . . . . » 44
» 16. - An etiam licentia Ordinarii requiratur ad nova Collegia fundanda . . . . . » 45
» 17. - An licentia Summi Pontificis ac Ordinarii necessaria quoque sit pro reassumptione priscae domus » 45
» 18. - An duplex illa venia requiratur pro translatione Communitatis ab uno ad aliud eiusdem urbis vel oppidi locum, vel pro immutando scopo sive usu Collegii. . . . . » 46
» 19. - An alii Regulares loci se opponere possint novae fundationi. . . . . » 48
» 20. - Quid de oppositione incolarum et Parochi . . . » 49
» 21. - An ad novi Conventus canonicam erectionem requiratur certus Religiosorum numerus . . . . . » 51

CAPUT IV

DE ALUMNORUM RECEPTIONE.

§ 22. - De impedimentis, et primo de haeresi vel schismate . . . . . *pag.* 53
» 23. - De natalium defectu . . . . . » 54
» 24. - De aetatis defectu. . . . . » 54
» 25. - De gravi mentis aut corporis infirmitate . . . . » 55

§ 26. - De defectu libertatis in servis, coniugatis, professis in alia Religione et Episcopis . . . . . *pag.* 57
» 27. - De propinquorum necessitate . . . . . » 61
» 28. - De aere alieno et obligatione reddendae rationis. » 63
» 29. - De infamia . . . . . » 67
» 30. - De rectae intentionis et verae vocationis defectu. . » 67
» 31. - Acta quae requiruntur pro receptione et admissione ad habitum . . . . . » 69

CAPUT V

DE TIROCINIO SEU NOVITIATU.

§ 32. - Quid sit, et quandonam incipiat . . . . . *pag.* 77
» 33. - Quantum perdurare debeat, et an possit interrumpi vel suspendi. . . . . » 78
» 34. - An tempus novitiatus possit prorogari . . . . . » 81
» 35. - De novitiatus loco, et de vi decretorum Clementis VIII pro reformatione Regularium, ac receptione et educatione Novitiorum . . . . . » 82
» 36. - De Novitiornm Magistro eiusque Socio . . . . . » 86
» 37. - De Novitiorum habitu . . . . . » 87
» 38. - An Novitii nondum professi teneantur Superioribus Ordinis ex conscientia obedire. . . . . » 88
» 39. - An Novitii possint cuicumque confiteri . . . . . » 89
» 40. - An Novitii possint pro lubito eiici, aut proprio marte abire . . . . . » 90
» 41. - An Novitii dimissio eum liberet a voto ingrediendi Religionem . . . . . » 91
» 42. - De Novitiorum privilegiis, deque eorum educatione » 92

CAPUT VI

DE PROFESSIONE.

§ 43. - Quid et quotuplex sit . . . . . *pag.* 95
» 44. - De requisitis ad professionis validitatem . . . . » 97

§ 45. – De professionis invaliditate vel reparanda, vel reclamanda . . . . . *pag.* 98
» 46. – De requisitis ad professionis liceitatem. . . . . » 102
» 47. – De natura et effectibus votorum simplicium vota solemnia praecedentium . . . . . » 103
» 48. – De cessione administrationis, ususfructus et usus propriorum bonorum, quae praemitti debet professioni votorum simplicium . . . . . » 109
» 49. – De renunciatione quae praecedere debet aut necessario consequitur professionem solemnem. . . . » 110
» 50. – De solemnis professionis effectibus . . . . . » 113
» 51. – De loco ubi neo-professi manere debent, ac de eorum disciplina . . . . . » 114
» 52. – Acta apud nos perficienda pro admissione novitii ad professionem votorum simplicium extra Italiam » 116
» 53. – Acta perficienda pro eadem professione votorum simplicium in Provinciis Italiae . . . . . » 118
» 54. – Acta perficienda ante professionem solemnem . . » 120

CAPUT VII

DE DIMITTENDIS, EIICIENDIS ET ITERUM RECIPIENDIS.

§ 55. – De dimittendis nondum professis. . . . . *pag.* 125
» 56. – De dimittendis professis votorum simplicium . . » 126
» 57. – De eiectione solemniter professi. . . . . » 129
» 58. – De iterum recipiendis . . . . . » 131

CAPUT VIII

DE RELIGIOSA PERFECTIONE IN GENERE ET DE PAUPERTATE IN SPECIE.

§ 59. – Obligatio tendendi ad perfectionem. . . . . *pag.* 135
» 60. – De speciali obligatione Superiorum . . . . . » 136
» 61. – Ad quid obliget votum paupertatis . . . . . » 137
» 62. – Quaenam licentia requiratur ut Religiosus licite possit

accipere et retinére bona temporalia, de iis uti ac disponere . . . . . *pag.* 142
§ 63. – Canones ecclesiastici circa religiosam paupertatem. » 144
» 64. – Casus frequentiores contra votum paupertatis . . » 150
» 65. – De livellis, peculio et vita communi perfecta . . » 154
» 66. – De paupertate prout est virtus . . . . . » 158
» 67. – De paupertate prout respicit Communitatem. . . » 159
» 68. – De munerum largitionibus . . . . . » 160

CAPUT IX

DE CASTITATE ET CLAUSURA.

§ 69. – De castitatis voto et perfectione . . . . . *pag.* 161
» 70. – De clausura regulari . . . . . » 163

CAPUT X

DE OBEDIENTIA ET REGULARI OBSERVANTIA.

§ 71. – De obedientiae voto ac virtute . . . . . *pag.* 171
» 72. – De obligatione servandi Regulam . . . . . » 176
» 73. – De causis ab observatione Regulae excusantibus . » 179

CAPUT XI

DE ALIIS REGULARIUM OBLIGATIONIBUS.

§ 74. – De divino officio et choro . . . . . *pag.* 183
» 75. – De obligatione deferendi habitum et tonsuram . . » 188
» 76. – De obligationibns negativis circa arma, venationem, aleas, choreas, publica spectacula, negotiationem, venale exercitium, artes quasdam et officia saecularia. . . . . » 190

CAPUT XII

DE REGULARIUM PRIVILEGIIS.

§ 77. – Praenotanda . . . . . *pag.* 197
» 78. – De exemptione . . . . . » 200
» 79. – Limites exemptionis a visitatione Episcopi, praesertim quoad Ecclesias curatas, Confraternitates et Sanctimoniales . . . . . » 202
» 80. – De iuribus Episcopi et Regularium circa parvos Conventus . . . . . » 206
» 81. – De iure Episcoporum in Regulares publice delinquentes, aut excommunicatos, aut extra claustra degentes, sive peregrinantes sint sive saecularizati sive etiam suppressi, dispersi, eiecti, apostatae et fugitivi » 215
» 82. – Speciales iuris dispositiones circa Regulares de haeresi suspectos . . . . . » 218
» 83. – Iura Regularium et Episcoporum circa erectionem Confraternitatum, et traditionem habitus Tertii Ordinis . . . . . » 219
» 84. – De functionibus Episcopalibus, de festis Dioecesis, deque publicatione censurarum, interdicti vel novae Indulgentiae in Ecclesiis Regularium . . . . . » 220
» 85. – De sacris functionibus in genere et, in specie, de ritibus maioris hebdomadae, de processionibus, de sonu campanarum, de expositione SS. Eucharistiae, sacrarum imaginum et reliquiarum . . . . . » 222
» 86. – Dispositiones iuris circa benedictiones varias. . . » 224
» 87. – Circa munus patrini et matrinae in Baptismo et Confirmatione . . . . . » 226
» 88. – Circa Sacramentum Poenitentiae administrandum . » 227
» 89. – Circa idem Sacramentum a Regularibus recipiendum. » 231
» 90. – Circa excipiendas confessiones Sanctimonialium . » 235
» 91. – Circa censuras et casus reservatos . . . . . » 238

§ 92. Circa concedendas dispensationes et pronunciandas irritationes . . . . . *pag.* 242
» 93. - Circa administrationem SS. Eucharistiae, et Extremae Unctionis . . . . . » 247
» 94. - Circa Missae celebrationem, et circa satisfactionem praecepti illam audiendi in ecclesiis Regularium . » 249
» 95. - Circa funera et associationem cadaverum. . . . » 250
» 96. Circa verbi Dei praedicationem . . . . . » 252
» 97. - Circa Regularium Ordinationes . . . . . » 255
» 98. - Circa assistentiam Synodis Dioecesanis, librorum impressionem, collationes casuum conscientiae et Sacrae Scripturae lectionem . . . . . » 257
» 99. - Circa iudicium super validitate professionis, executionem ultimae voluntatis, et administrationem bonorum Sanctimonialium . . . . . » 260
» 100. - Circa ecclesiastica munia et dignitates . . . . . » 261
» 101. - De praecipuis privilegiis nostrae Congregationis . » 262

CAPUT XIII

DE INTERNO REGULARIUM REGIMINE, AC BONORUM TEMPORALIUM ADMINISTRATIONE.

§ 102. - De multiplici Superiorum Regularium potestate. *pag.* 267
» 103. - De sacra visitatione a Praelatis Regularibus peragenda. . . . . » 273
» 104. - An Superiores possint quidquid bonum in se est praecipere, et specialiter obligare mitigatos ad regulam primitivam. . . . . » 276
» 105. - De Praelatorum institutione, depositione ac ab officio abdicatione; ubi de officiorum incompatibilitate. » 278
» 106. - De Congregationis nostrae regimine per Capitula generalia, provincialia, localia; per Superiores, Officiales, Vocales omnes. . . . . » 283
» 107. - De ratione apud nos servanda in electionibus, et

in communibus deliberationibus: ubi de Scrutatoribus . . . . . *pag.* 294
§ 108. - De Actis Capitulo nostro Generali praemittendis . » 300
» 109. - De bonorum temporalium administratione, alienatione, permutatione, locatione, conductione etc. . » 306

CAPUT XIV

DE REGULARIBUS AD ECCLESIASTICAS DIGNITATES EVECTIS AUT AD ALIAM RELIGIONEM MIGRANTIBUS.

§ 110. - De Episcopis et Cardinalibus Regularibus . . *pag.* 315
» 111. - De transitu Regularium ad aliam Religionem . . » 319

CAPUT XV

DE REGULARIBUS EXTRA CLAUSTRA DEGENTIBUS.

§ 112. - De conditione Regularium extra claustra degentium . . . . . *pag.* 323
» 113. - De Regularibus vi dispersis . . . . . » 324
» 114. - De apostatis et fugitivis . . . . . » 328
» 115. - De dimissis vel eiectis a Religione . . . . . » 330
» 116. - De Regularibus saecularizatis . . . . . » 332
» 117. - De successione in bona relicta a Regularibus dispersis, vel eiectis, vel saecularizatis, etsi munitis Apostolico indulto acquirendi bona et de iis disponendi . . . . . » 339

CONCLUSIO OPERIS.

§ 118. - Monita ad Regularium Sodalitatum prosperitatem assequendam . . . . . *pag.* 343
Index rerum. . . . . » 347
Index capitum . . . . . » 375

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed. S. P. A. Magister.

Iosephus Ceppetelli, Archiep. Myr. Vicesgerens.

3882